60
2
1075. m. 16
2

ΚΥΚΝΕΙΟΝ ΑΣΜΑ.

Cygnea cantio.

AVTORE IOANNE LELANDO ANTIQVARIO.

Londini.
M. D. XLV.

BRITISH MUSEUM

CYGNI NOSTER AMOR.

IN CYGNEAM POMPAM.

Aſpice qua pompa Tameſinis fertur in undis
Iſtaca ueniens Cygnus ſpecioſus ab urbe.
Vtique ducem placidè ſequitur chorus almus ouantẽ.
Ille ſuas reſono celebrabit carmine ripas,
Nomen & Henrici Regis feliciter amplum
Concentor ſublime feret ſuper æthera lætus.
Præbeat attentas auditor muſicus aures.
Rara quidem Cygnum res eſt audire canentem:
Concinuiſſe tamen doctorum turba uirorum
Prædicat, & melicæ uocis punctum omne tuliſſe.

Longe inuictiſſ. Hen=

RICO EIVS APPELLA=

tionis Octauo, Regi Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ. Fidei defenſori, ac Anglicanæ, & Hibernicæ eccleſiæ proximè à Chriſto ſupremo capiti Ioannes Lelandus Londinenſis felicitatem optat perpetuam.

ANTA eſt tui nominis cum celebritas, tum gloria cum maieſtate coniuncta Rex illuſtriſsime, ut me ſcribentem magnitudine quadam ſua facile deterreant. At rurſus cum mecum cogito qua te natura totum ſolers facilitate, humanitate, beneuolentia, candore, denique ingenuitate beauit: non poſſum certè calamo temperare, quo minus animum, atque adeò officium erga te meum luculento aliquo conteſter exemplo. Accipe igitur quid muneris in præſentia apportem. Adoleſcens totus planè conflagrabam Camœnarũ amore: qui ardor eo me tandem impulit, ut treis Epigrammaton libellos ſcriberem diligentia quidem magna, at interim an pari eloquentia, felicitate, & gratia neſcio

neſcio. Primo Græcum addidi titulum, uidelicet Ἐγκωμιαστικόν. Secundo uerò Latinum Sales nomen inditum. Tertius & Græcè inſcriptus Ἐπικήδιον. Nec ſic contentus Muſas demeruiſſe, aggreſſus ſum, magnis quidem auſis, Eadueardi Principi filiŋ tui incomparabilis natalem diem percelebrare. Qui libellus, quanuis gratias, ueneres, & lepores antiquitatis maieſtatem inimitabilem quidem illam exprimenteis à mea tenuitate accipere non potuit, futurum tamen ſperat, de tuo tanta exiſtimatio eſt Aſcanio, quem prædicat, quem ſuſpicit, quem denique colit, ut ſi non ingentem laudem, at interim ſuffragia qualiacunque & uitam à docta facile impetret poſteritate. Decreueram hoc libello ædito manum de tabula tollère, & Muſas eruditę iuuentuti relinquere. Nam me alió iam olim uocauerat noua cura hiſtoriæ, atque adeò antiquitatis Britannicæ ſtudium, quam uidebam quorundam non modo negligentia, & ſocordia, uerum etiam ingratitudine preſſam, & tenebris plus quàm Cimmeriis obuolutam. Senſerat Calliope Muſarum prima ſi non deſertorẽ, ſaltem ceſſatorem eſſe me: monuitq; ut, ſi iam plánè apud me cõſtituiſsẽ ſeueriora amplecti ſtudia, cygneum aliquid decedens canerem, Muſiſq; ſymmiſta conſecrarẽ. Non potui certè tam æquà petenti operã pernegare meam. At interim ſo-

licitè

prouerbio non modo Græcis, uerùm etiã Latinis scriptoribus fuisse, ut apparet in præclarissimo Prouerbiorũ Erasmi opere: quo loco Athenæum Chrysippi in hac parte imitatorem, Aelianum, atque alios testes in medium producit. Conuenire autem illud adfirmant senibus mellita tanquam postrema canentibus. Habent enim senes maturam quandam rerum memorabilium longo usu partam cognitionem, quæ circulum absoluat, & operis egregiè incepti, ac feliciter cõsummati deductam quandam harmoniam tersis instillet auribus: Tale quiddam uidetur Cicero Latinæ gloriæ eloquẽtiæ tertio de Oratore libro, de L. Crasso loquens, his uerbis innuere. Illa tanquam Cygnea fuit diuini hominis uox, & oratio, quum quasi spectantes post eius interitum uenirebamus in curiam, ut uestigium illud ipsum, in quo ille postremum institisset, contueremur. Hieronymus denique sacræ interpres scripturæ ait senes nescio quid Cygneum canere, perinde ac si diceret numeris quidpiam absolutum omnibus. Hactenus de Cygnea cantione. Addidi præterea, tanquam ad coronidem, quorundam antiquorum nominum & catalogum, & interpretationem, ut hinc Britannicæ antiquitatis cognitio à multis toties anxiè quæsita, at non inuenta tamen, nunc quasi reperta uideatur. Tantum

tum in præsentia gustum erudito lectori maioris operis quotidie accrescentis exhibui, quem si sensero lautis placuisse palatis, tam fusè, & accuratè scribam, ut aliquando & gratus, & utilis patriæ, adsit modò candidus censor, uidear. Tu Princeps omnium quos sol uidet humanissime, atque idem eruditissime cape læta manu hæc tui qualiacunque munuscula alumni, si non eloquentis, certè tibi tam bene, quàm qui optimè cupientis. Sic Scottos genus fœdifragum, & Gallos antiquos tui longè nobilissimi generis, unà ac imperij hostes, ut uictor strenuè incepisti, concutias, prosternas, tandemq; fortunatissimus debelles. Vale præsidium, & dulce decus Britanniæ.

Londini tertio calendarum Iul.

ACCLAMATIO.

Viue pater patriæ Rex illustrissime regum
Ascanius toto floreat orbe tuus.

AD INVICTISS. HENRI.
cum Oct. Anglorum Regem.

Perge precor zephyris Princeps dare uela ſecũdis
Hoc pater Oceanus, Neptunus poſcit & ipſe
Nereidumque chorus. Victoria læta triumphos
Promittit ſummos, precium immortale laboris.
Macte animo Victor felix: hac itur ad aſtra.

ΚΥΚΝΕΙΟΝ ΑΣΜΑ.

Cygnea cantio.

CYgnus me genuit pater ligustris
Ipsis candidior, colunt Aprili
Albæ cum Venerem suam uolucres:
Et spirat Zephyrus, nouumque pictos
Ver fundit uario colore flores.
Cygnus me peperit niue, & colostro
Mater candidior: loco citatus
Isis quo patitur uadum sonorum.
Hic inter medios uenustus amnes,
Et diuortia curua brachiorum
Dum lentè uagor, & famem repello,
Depastis teneris lubenter herbis,
Nec non pisciculis cibo suãui.
Casu nescio quo cupido magna
Inuasit mihi pectus otiosum,
Et multis monuit modis benigna,
Ripas Isidis ut uirentioreis
Intentis oculis, nouaque cura
Collustrarem auidè, quousque salsas.

Vndas imbiberent maris refusi.
Hæc dum sollicita uoluto mente,
Euincor studio migrationis.
Ergo ut magnificè expeditionem
Ornarem è numero quidem meorum
Bissenos comites chorum superbum
Selẽgo, reliquosque concione
Omneis hac habita pater benignus
Committo fidei Isidis probatæ.
Cygni noster amor, decusque nostrũ,
Qui ritè Isidis insulas amœnas
Felices colitis, genusque nostrum
Augetis numero undecunque claro,
Lætis accipite auribus meam nunc
Causam, consilióque promouete.
Quodam numine ducor ut secundo
Cursu fluminis infimas caduci
Ripas Isidis, & sinus liquenteis
Inuisam. Strepitum dedit sonorum
Cygnorum niueus chorus canentũm,
Concussis alacri uigore pennis.
Applausus placuit mihi canorus.
Pandum hinc gurgite colluens profundo
Rostrum, talibus alloquor cohortem.
Nostrum hoc imperium insulas beatas,

Et

Et nidos etiam celebrioreis,
Quos ambit ſalicis corona glaucæ
A prædonibus impijs quidem illis
Vos defendite fortiter: uenuſtas
Nec permittite coniuges ab ullis
Aduĕnis fluuio premi maritis.
Omnes his monitis ſtatim adſonabant
Aptantes capiti meo coronam
Baccatam nitidis & hinc, & illinc
Gemmis, ac niueum aureæ catenæ
Collum multiplici orbe circinantes:
Poſtremoque uale uale canentes.
Tanti lumine prænitens decoris
Biſſenas medius feror uolucres
Inter flumineas eò, citatæ
Quo me curſus aquæ uocat perennis.
Sic dum continuo fluore labor
Abbandunica tecta derelinquens
Ciſſæ cognita Saxŏnum tyranno:
Mox cerno Hydropolim ſacrã, Birino
Quondam præſule, confluentiamque
Tamæ, ac Iſidis: inſuper uetuſti
Caſtri culmina lapſa Sinnoduni
Tum paulò inferiùs mihi obtulit ſe
Vrbs clariſſima ſemper Atrebâtum

Gaudens nomine pristino Caleuæ.
Et Chausêga locus sacer, furentes
Quam Dani miseris modis premebant.
Hinc, lapsu rapidi cito fluenti
Delatus, uideo oppidum, quod olim
Pontes, si memini satis, uocatum
Alfridi cecinit trophæa magni,
Quâ Cunetio fertur inquietus:
Sunningum quoq; præsulum cathedram,
Henlêgam & ueterem forum popello
Vicino bene cognitum, frequensque.
Hurstelêga ferax deinde syluæ
Apparet, Mediamnis atque pulcher.
Felix pertinet illa ad Atrëbates:
Hæc spectat Caticblanicos colonos.
Ad dextram ulteriùs nitet serena
Bustelli domus, inclytum sepulchrum
Montis nobilibus utris acuti.
Pòst hæc remigio fero r superbo
Ad ripas ubi uicus est Alaunus.
Et tandem penetro impetu uolucri
Pontem Vindelsoricum, duarum
Qui uel limina gentium coarctat.
Hic alas cohibens meas, ocellos
Verto in sideream quietus arcem.

Mira-

Miratusque loci situm nitentem.
Et turres ualidas, sacrumque templum,
Dulce exaudio cœlicumque melos:
Clari quale quidem canunt olores
Vndis in medijs uagi Caystri.
Tunc ripam citus ambiens sinistram
Molem conspicio alteram, scholamque
Sexti Principis elegantiorem,
Nomen cui ueteres dedere Aquædon.
Alas explico rursus, & labore
Grato peruenio ad locum celebrem
Cerui antiquitus insulam uocatum:
Erchenualdus ubi pius sacerdos
Templum perpetuo Deo sacrauit.
Et mox, defluuio uolans aquarum,
Ancboreticum ego sinum benigne,
Stenum & nomine uiculum saluto:
Contendens uolucri deinde cursu
Altæ ad conspicuas domos Auonæ.
Non hic purpurei nitent galeri,
Vt quondam soliti, cruces, columnæque
Aut stant gemmiferæ, et nitent coronæ,
Eduardumque suum colunt alumnum,
Gentis delicium unicum Britannæ.
Cuius dextera Scotticos tumultus

Henricus VI.
Aiton.
Hamptoncourt. infra fo. 180.

Compescet, manibusque dura uincla
Gallorum iniscict. Sed ad receptum
Munus confero me. Hoccine est celebris
Famæ Regiödunum, honore summo
Quod treis regibus obtulit coronas?
Ripas tam uirideis iuuat uidere.
Et iam summa procul superbientis
Shenæ culmina spendidè coruscant,
Quas rex septimus serenus ædes
Montem nomine diuitem uocauit
A quadam regiuncula Brigantum.
Hæres cuius erat domo paterna.
Decursus Tamesis celer profundi
Iam me ducit, & impigrè ad sinistram
Ripam, fulget ubi uelut corona
Sedes æthereus Sion decora.
Quod templum posuit Deo supremo
Quintus Maximus ille, Galliarum
Gentes qui domuit manu potenti.
Brentæ fluminis hinc uadum notando
Binas conspicio insulas olorum
Nidis officium suum exhibenteis.
Cygni, qui medijs aquis frequentes,
Admirarier, & decus, meamque
Pompam, ac tollere cristulas comanteis.

Prudens

Prudens ipſe tamen, ſatiſque certè
Securus, Zephyro meo fauente,
Ducor nauigio ſecundiori
Ad Cheuam hoſpitio piæ Mariæ — Cheua. fo. 133.
Gallorum Dominæ celebriorem.
Dehinc & Mortuus eſt lacus ſuperba — Mortlake.
Villai effigies, domuſque nota:
Cygnorum inſula promicat benigna
Noſtri quæ generis fouet uolucres.
Puttennêga etiam nitens amœnum, — Putney.
Præter quas alacri feror uigore
Procurſum acceleràns. Domus uolucrũ — Fulham.
Tum frontem exerit, ante multa ſæcla
Danis cognita uilla bellicoſis,
Quam dum ſuſpicio lubens micantem
Amplis nobilium ædibus uirorum,
Attentum me aliò uocat recurui
Batterſêga ſinus polita cultrix. — Batterſey.
Et Chelſêga locus ferens coronam, — Chelſea.
Henrico ueniente Rege, primam.
Ad dextram placido alueo, phaſelo
Tanquam, deuehor intuens apertè
Lomithin titulo palatij alto — Lambith.
Doruernenſis epiſcopi nitentem.
Ad leuam locus eſt ſcaturiente

Circum-

Circumseptus aqua, cui priores
Thornégam proprium dedêre nomen.
Hic reges statuêre præpotentes
Sedem magnificam sibi, suisque,
Quæ nunc temporis euolutione
Splendoris decus omne comparauit.
Henricus tamen omnium unus instar
Octauus precium tulit laboris,
Romanis solio suo galeris
Excussis, spatijs palatijsque
Auctis mirifica expolitione.
Quid magnas referam ædium nitelas
Multarum, radiant suo emicanti
Quæ nunc lumine, cliuus adiacet quâ
Ripæ excelsior, aspicitque lymphas
Nymphæ cæruleas sibi fauentis?
Aedes turrigeræ hinc micant, & inde,
Quas Antonius ille Beccus urbis
Dunolmensis bonos, decusque struxit.
Dignas plumiferis quidem coronis
Eduardi modo Principis sereni.
Tum Sabaudia lucet alta sedes
Olim nobilibus uiris dicata:
At nunc pauperibus domus sacrata.
Regis Septimij labore sancto.

Sed

Sed nec laude sua carent uenustæ
Aedes, Balnea cui dedêre nomen.
Hinc templi ueteris ruina sensim
Frontem attollere cœpit excitata
Splendent mirificè & superba tecta
Queis fons nomina Brigidæ sacrauit
Iam peruênimus alta Trenouanti
Celsi ad mœnia, quâ per occidentem
Amnis nomine Fluctus intumescit,
Olim cuius in ostio, minaci
Arx apparuit undecunque fronte.
Illius periit decus sed omne,
Bainardi & peperit nouos honores
Castellum radians nitore multo.
Miranti similis feror per undas,
Fanum suspicióque dedicatum
Paulo, pyramidemque percelebrem,
Tangit uertice quæ suprema cœlum.
Mox & nobilium domos uirorum
In ripa facile adnoto uirenti.
Tum demum memini fuisse quendam
Cygni munere maximo beatum
Cultorem illius: at uirum impotentem
Tandem mors rapuit manu cruenta.
Atq; hæc dũ meditor uagus per amnem

Germanosque pio saluto nutu
Merces sollicitè suas parantes,
Ad pontem uenio arcubus ualentem,
Surgentemque nouendecim, domorum
Quos fastigia comprimunt suprema.
Sunt & qui referant notæ probatæ
Scriptores tabulatum opus fuisse
Richardi imperio Leonis. Ignis
At postquam uiolasset illud: ecce
Ioannes ditione fratris auctus,
Largo & munere ciuium bonorum
E saxis solidis opus refecit
Dignum laude quidem sua perenni.
Hic me non patitur manere gurges
Magno murmure defluens ab alto.
Quin arcum penetrabo. Sudouerca
Multis nominibus ualeto clara
Tu Cygnum peperisti & elegantem,
Quâ stant lucida tecta, Branodunus
Reginæ Mariæ potens maritus
Struxit quæ studio nitoris amplo.
Tu Ventæ hospitio foues alumnos,
Giffardi ueteris tui patroni,
Rupinique Petri memor patroni.
Tu felix colis insulam celebrem

Bermun-

Bermundi niuea benignitate,
Notam et Pontificum domum tuorum.
Bellini uocor ad sinum frequentem
Nautis, Turrigeramque regis alti
Sedem, armaria Martis ampla magni.
Arx hæc terminat urbis orientem
Versus mœnia, calculóque gaudet
Magni roboris, hostibus timorem,
Ingentem obijciens, trucemq; mortem,
Tot serpentibus æneis in omnem
Sortem ad fulmina sæua comparatis.
Sed nunc protinus urbe derelicta,
Dextra Nauticus est sinus petendus
Insignis statione puppium, tum
Villis eximio labore cultis.
En spirat Zephyri fauentis aura:
Et me nunc Ruber ille cliuus altas
Ad ripas uocat illici susurro.
Est planè paradisus ista uilla
Structuræ nitidæ ferens coronam,
Pestanisque rosas suauioreis
Profert, ac genus omne liliorum.
Hic fons. Hic nemus est sacrũ Camœnis.
Cygnorum hic numerus pius canentũm.
Hic uel perpetuò iuuat manere.

Sed me Limŏdomus cupit uidere.
Fiet: nam cupio uidere & illam.
Hoc ſentire quidem uidetur unda.
Sic me flumine promŏuet ſecundo.
Fumus naribus uſtulans oberrat.
Creta hic aſſiduo domatur igne,
Albo & tota nitet colore ripa.
Ventis uela dabo, ſimuſque curui
Leni perſequar ambitum natatu,
Donec contigero Vadum profundum.
Claſſem iam uideor mihi uidere.
Galli, ſi ſapitis fugam parate.
Accedam propius, triremiumque
Intentus numerum adnotabo iuſtum.
Prima & maxima nomen imperantis
Henrici retinet. Secunda uerò
Et nauis Catarina bella fertur.
Nomen tertia prædicat Mariæ,
Inter quæ reliquas nitet puellas,
Digna Semideûm thoris uirago.
Gaudet quarta quidem Petrus uocari.
Quinta inſignia iactitat Leonis.
Hæc eſt Prima roſa. Hæc et eſt Hirŭdo
Hæc eſt Palmifera: & Phaſelus illa
Hæc Pinus uolucris: noua hæc Triremis

Cui

Cui præfectus erat meus Viatus
Cultor Oceanitidum celebris:
Cultor Pieridum celebris ille,
Nostri & Martia sæculi uoluptas.
Quid plures memorem? Iuuat recessum,
Et nauali aperuidêre uasta.
Gunteri mea filius nitela,
Qui tot naumachijs Getas feroceis
Et Gallos domuit genus superbum,
Vicinas habitat benignus ædes.
Intrarem nisi me suprema cursus
Meta binc ad Viridem sinum uocaret.
Alas carbasa candidas parata.
Expando. Fluuius fauere perstat,
Et uentum Zephyrus meus ministrat.
Ecce ut iam niteat locus petitus
Tanquam sidereæ domus cathedræ
Quæ fastigia picta? quæ fenestræ?
Quæ turres uel ad astra se efferentes?
Quæ porrò uiridaria, ac perennes
Fontes? Flora sinum occupat uenusta
Fundens delicias nitentis horti.
Rerum commodus æstimator ille,
Ripæ qui uarijs modis amœnæ
Nomen contulit eleganter aptum.

Greenwiche.

Aethelredus erat Britanniarum
Princeps: Danicus hunc frequẽter hostis
Contorsit miseris modis, coëgitque
Vrbis præsidio sibi cauere.
Danorum interea trucescateruæ
Doruernum spoliant, trahuntque sæui
Elphægum ad loca nota Grenõuici
Sacrum pontificem, necique ibidem
Tradunt, ab capitt securi adacta.
Longo temporis inde perfluente
Cursu, nobilium decus uirorum
Hunfridus ditione Claudiana
Auctus, magnificas beatus ædes
Placentia Hic primum posuit, Placentiamque
Illustri titulo uocauit aptè
Linguæ candidus utriusque censor.
Sed cum Curia sustulisset illum
Pôli fraude, dolisque Sudouolcæ
Festas deposuit relicta cristas,
Elugens Domini sui ruinam.
Horti tunc periêre Adonidisque,
Quos insignia tanquam amœniora
Fatali omine pinxerat fenestris:
Nimirum fragiles sciens honores,
Et rerum instabiles uices nouarum

Tam

Tam clari meminit uiri togata
Rectè Gallia: tum chorus ſuauis
Cygnorum Iſidis ad uadum incolentium,
Cui magnum numerum dedit bonorum
Librorum, ſtatuitque ſanctiori
Diuinus ſtudio ſcholæ theatrum
Noſtro quale quidem uidetur eſſe
Magnum tempore, forſan & futuro.
Quid, quòd munere Verolamienſes
Non ceſſant meritò ſuum patronum
Ipſo reddere ſole clariorem?
Eduardus coluit deinde Quartus
Aedes funera poſt cruenta Sexti.
Tandem & Septimius potitus arce
Regni, reſtituit locum decori,
Auxitque egregiè domum uenuſto
Frontis lumine, ſplendidiſque pinnis,
Cognati memor inclyti, bonique.
Quàm regi bene ceſſerit ſecunda
Structura indicat & potens alumnus
Octauus patris æmulator altus:
Quonon magnificentius potentum
Quiſquam exædificauit, aut deinceps,
Ni fallor, faciet. Loquatur ipſe
Per me nunc Viridis ſinus, ſuoſque
Exaudos

Ex auctos titulos, suos honores
Amplos, culmina prædicetque celsa.
Concentus liquidè canorus aures
Percellit mihi. Fallor? an recessu
Isto personat? Illud est receptum
Cygnos hic habitare concinentes,
Qui famam Domini sui, decusque
Summum lucida transferunt ad astra.
Vos ergò comites profectionis
Selectus numerus meæ videtis
Partes esse meas, labore plenè
Confecto, unde quidè profectus huc sum,
Vt laudes alacri sono celebrem
Henrici patriæ patris Britannæ.
Nolo sollicitos mea esse causa
Vos, quòd carmina concinam suprema.
Certè non moriar, petam sed astra
Cœlites habiturus inter ipsos
Sedem conspicuo polo micantem:
Phœbus noster ubi coruscat almus.
Vidistis thalamos, sinusque curuos
Cognati Istdis: Itionis huius
Nec uos pœniteat. Iuuabit olim
Hæc forsan meminisse, Cantilenam
Quin nunc aggredior fauente Phœbo,

Musa.

Musarumque nouem choro annuente.
Felix illa dies notanda gemmis
Planè ter niueis, suãuibusque
Sertis, lumina quæ serena primum
Henrico tulit inclyto puello.
Felices genuêre qui parentes
Talem sidere filium secundo.
Felix quo Viridis sinusque alumno.
Ridebant elementa sole tali
Orto, lumina qui referret orbi.
Fortunata fuit rotundioreis
Quæ nutricula præbuit mamillas.
Fortunati etiam, & quater beati
Illi qui comites fuêre paruo.
At cum iam teneros adultus annos
Vicisset, uelut Hesperus minora
Inter sidera totus enitebat.
Illum uir, mulier, puer, senexque,
Omnes denique prædicare magno
Certè numine maximis uolente
Natum rebus, et hoc probauit usque
Fortunæ facilis rota eminentis.
Solus fratribus omnibus superstes
Regni præcipuum decus ferebat,
Vnà diuitiasque uel Midæas,

Quas congesserat usibus futuris
Cura, & iusta quidem parentis illa.
Quis nouit meritis modis referre
Pompam conspicuam nouæ coronæ,
Ibat quâ mediam nitens per urbem?
Quis nunc munificentiam profusam
Illius: ualidos quis aut lacertos
Exculta satis exprimat camœna?
Natos nam tenui loco beauit
Multos, & Morinorum ab urbe victor
Insignis rediens tulit coronam
Ex lauro, precium laboris altum.
Regnorum Comes inclytus cruento
Bello perdomuit genus malignum
Scottos. Rex Iacôbus impetuôs
Illo concidit, ac seueriores
Pœnas perfidiæ tulit tyrannus.
O factum bene. Vicit Anglus absens.
Patris gloria, filijs uirtus
Houerti uirideis ferent coronas:
Et victoria læta permanebit
Henrici domitoris improborum.
Tornaco interea potitus Anglus
Fundamenta noui profunda castri
Victor mox posuit perënne uallum.

Non

Non eſt nobilium chorus uirorum
A me prætereundus, ille Carlum
Quo Quintum hoſpitio fouebat amplo:
Quâ ſtant mœnia celſa Durouerni.
Congreſſus celebris celebriorem
Paulo poſt peperit. Corona fulgens
Francorum, Angligenumque cõfluebat
Guiſneſſum inter, & ardeam uirenti
In ualle, Aurea quæ deïndè dicta eſt
A rerum inſolito nitore quodam.
Hic reges niuea benignitate
Coniuncti ſpecimen dedêre tale
Pompis, quale quidem à graui ruina
Romani imperij extulêre nulli.
Admirabilis ædium uemuſtas,
Quas erexerat eleganter illic
Henricus ſubitum intulit ſtuporem
Raptis Galli oculis amœnitate.
Quintus Carolus Ictium petebat
Portum Cæſareo nitens honore.
Hinc fit continuò apparatus alter.
Anglus ſplendidus erigi theatrum
Iuſſit, nomen & inclytum loco ex re
Miracli domus inditum eſt decenter.
Poſt annos aliquot reuiſit ipſe

Cæsar flauicomos potens Britannos,
Londiniique celebrioris urbis,
Henrico duce, mœnia alta uidit.
Nunc si præterea canendo uellem
Accuratius explicare fictæ
Quæ pugnæ simulachra equestris acer
Ostentauerit is domi, foriſque
Longo carmine uix referre possem.
At possum interea docêre ueras
Fictarum comites fuisse pugnas.
Ter Gallum impetijt seuerus hostem
Henricus gladio, & quidem cruento,
Virtutisque suæ tulit coronam
Victor tot spoliis onustus amplis.
Tum fortuna nouerca cœpit esse
Gallo, Cæsareisque eum triumphis
Captum tradidit illico molesta.
Anglus candidus illius ruinæ,
Quanuis hostis erat, misertus egit
Capti Cæsare cum potente causam.
Illa redditus actione Gallus
Regno est. Num poterit mereri inique
Post hæc tam benè de merenti amico?
Anglus sollicito obsides parenti
Gallo filiolos studens labore

Grato

Grato reddere: Carolo remisit
Auri non leue pondus erogati.
Hinc reges stabilem fidem dedêre,
Et iunxêre manus utrinque dextras
Cincti nobilium utirûm cateruis:
Vrbes quâ Morini colunt superbas.
Anglus tam placidæ quietis autor
Gaudet munere pacis inuouato.
Quoscunque artifices fouens politos:
Hac lege ut laceros palatiorum
Muros restituant labore iusto,
Conferantque suum nouis nitorem.
Hinc creuit Viridis sinus corona,
Hundesdénaque peruenusta sedes.
Hinc Bellus locus extulit serenæ
Frontis lumina, Brigidæ & sacer fons,
Aedes magnifico decôre festæ.
Hinc Thornega uetus suos honores
Auxit splendida Principum cathedra.
Shelfesêga etiam domus renidens
Signis uentiuolis, & albicante
Crista. Sideris instar est Auona,
Ottelandáque uerticem alta tollit,
Et Nulli titulo domus secunda,
Cœlo quæ caput inserit coruſco.

Sic res publica prænitens quiete
Successum studijs dedit politis,
Queis florentibus, exuit ueternum
Lex Euangelica, & suo uigori
Sacro numine restituta plenè
Incrementa tulit, bonosque fructus.
Huc admouerat & manum ualentem
Prudentissimus omnium fuêre,
Vel qui sunt modò Principum, labore
Henricus facili, utilique planè
Orta hinc quæstio magna de suprema
Romani quoque dignitate. Sanctus
Illam Præsulibus senatus esse
Communem asseruit, paremque cunctis.
Tunc ecclesia cæpit Anglicana
Romanas nihili æstimare merces:
Et Rex magnanimus iugum reiecit
Non portabile publico suorum
Consensu: unde quidem petita longum
Libertas rediit suum ad theatrum
Romanisque uale beata dixit.
Fraudes, seditio, doli, cauillæ
Bella horrentia Principi intonabant.
Princeps consilio ualens secundo
Fraudes, dissidium, dolos, cauillas
Euicit.

Euicit. Deus hoc uolebat ipſe.
Prudens continuò per alta paſſim
Arces littora confici iubebat.
Pendinas tenet aſperi cacumen
Celſum montis, & intonat frequenter.
Mauditi quoque ſubſidet rotundum
Caſtrum, & fulminat impetu furenti
Portus oſtia quâ patent Falenſis.
Tum Portunia comminatur hoſti
Audax arce noua, crepantibuſque
Tormentis: breuis unde tranſitus per
Scapham ad littora fracta Durotrigũ
Quo nec longius eſt loco arx timenda
Saxa ingentia prouolent quod inde,
Piratas quæ abigant procul ſceleſtos.
Couæ fulmineæ duæ coruſcant.
Hæc caſum colit, illa ſolis ortum,
Vectam quà Neoportus intrat altam.
Fauces Hurſta premit minax Auonæ.
Vinchelſęga ſuos ſinus tuetur,
Quâ Limenus aquas agit profuſas.
Doris littore prominet bicorni
Gallis tormina comminans ſuperbis.
Iactat Dela nouas celebris arces:
Notus Cæſareis locus trophæis.

Caſtrum

Castrum Regius editum recepit
Burgus fulmina dira, & insulanos
Tutos seruat ab impetu uel omni.
Sed nec Greua suo caret rotunda
Moles præsidio: frequens uiator
Vrbem quâ uolucri petit celoce.
Floret Regioduni bonos uenusti,
Castellíque nouam sui figuram
Lætis suspicit adsõlens ocellis,
Et pontem celebrat nouum, furenteis
Hulli nil reflui timens procellas.
Sic gens Martia liberè Deïri
Vicinum repetunt forumque, agrumque.
Luguballia ciuitas Nouantum
Incrementa quidem ter ampla cæpit:
Et matora tulit Tuësis alta.
Celsas insuper Iccius recepit
Portus robora firmiora turres.
Guinessus radiat, nouaq; fossa,
Vallo & cingitur undecunq; forti.
Oram littoris anteà recensi.
At nunc interiora concinam, & quæ
Henricus fabricis tulit politis.
Struxit splendida tecta Durouerni.
Hinc & Durobreui uenustiorem

Sedem

Sedem constituit sibi, suisque.
Isuri quoque regiam uirenti
In ripa posuit decenter amplam.
Porrò Fanum Iacôbi opus renidens
Erexit placidæ studens quieti.
Et nuper posuit noua elegantis
Fundamenta domus amœniori
Derenti in fluuij uado liquentis.
Sedes pontificum nouas sacrorum,
Doctas instituit pius scholasque.
Hinc se Deua putat beatiorem,
Attollitque caput uenusta Venta,
Quam lymphis gelidis Auona lambit.
Hinc & Claudia ciuitas celebris
Excelsum caput exerit, nitetque.
Hinc & Petropolis micat serena.
Quid, quod Granta nouẽ dicata Musis
Henrici pietate litterati
Tersis prænitet erudita linguis?
Et Chœcos celebrat suos alumnos,
Doctam candida Smithiosque turbam.
Ponetum sophiæ seueriorem
Cultorem insuper approbat, fouetque
Heueddunum etiam, cui supremam
Dat phrasis Ciceroniana laudem,

Carrũ, Christophorũ, Aschamũq; cãtat.
Postremò Isiacis suum nitorem
Omnem reddidit insulis benignus
Cygnorum apposuitque concinentûm
Multis nominibus chorum celebrem:
Nostræ gloria creuit unde stirpis.
Felix Isidis hoc uadum patrono.
Sunt testes fidei satis probatæ
Shepreuus decus utriusque linguæ.
Hocherus nitor artium bonarum.
Colus Cæsarei fori uenustas.
Cheadsegus resonæ scholæ columna.
Visidunus apex sacræ cathedræ.
Hebræi radius chori Bruërnus.
Caius rhetor, & elegans poeta.
Petrus cosmographus ferax oliua.
Facundus Curio Mineruæ alumnus,
Harpesfeldius Atticæque linguæ
Interpres facilis, disertus, aptus.
Cultor præterea sacræ loquelæ
Hardingus numerum politus auget.
Dumque hæc magnificè pararet ille:
Fractos undique pœnitudo Iberos
Syluestreis domuit, suäue legis
Ferre & perdocuit iugum Britannæ.

Quæ

Quæ uictoria comparanda magnis.
Scottus senserat eminentioris
Fortunæ patruo fauere sortem.
Gallus senserat, atque pertimebat
Quorsum cresceret illius triumphus.
Ambo conueniunt, manusque tradunt
Coniuncti solitas: prior sed ipse
Scottus Martia tela promouebat.
Incerta alea Martis illa semper.
Scottorum incaluit cruore fuso
Iscæ fluminis alueus uadosus.
Capta et nobilium uirûm corona,
Infelixque Iãcôbus ingruenti
Ex mœrore animi statim peribat.
Gallus uulnere saucius tyranni
Infestissima quæque cogitare
Anglus bellipotens tumultuantis
Victor conteret omne robur hostis.
Postremó repetet suique iuris
Cælo lilia missa de sereno.
Scotti perfidiæ graueis tulerunt
Pœnas. Litha iacet redacta prorsus
In mœstos cineres, minaxque classis
Præda est facta quidẽ. Proïnde castrum
Cui nomen celebre inditum à puellis

Ter ferro uiolenter, atque flamma
Concussum patitur meras ruinas
Et clades similis ferocienteis
Adflixit Morinos. Superba facti
Testis uicta Bononia impotenter
Quæ nunc fata uocat, Deos & astra
Vel crudelia, sorte diminuta
Galli, cuius erat colũna nuper.
Syrtes nobilium madent cruore,
Et Bessus peperit fuga salutem.
Clades Ardea pertulit frequenteis,
Neptunusque fauet suis Britannis
Nostræ hic terminus esto cantionis.
Vndis nou iuuat amplius manere.
Henricus ualeat nitela regum.
Centenos Catarina uiuat annis
Casti coniugij decus supremum.
Eduerdus quoque floreat uenustus:
Et tandem solio potens auito
Sublimis sedéat, piusque Princeps.
Iam longum Viridis sinus ualeto.
Te præconia: te manent coronæ.
Me cœlum petit arduum canentem.
At Cygni interea tui memento.
Nutritor Tamesis ualeto chare,

Et

Et Cygnis facilis faueto noſtris
Pulli, grex niueus, mei ualete:
Nymphis Iſiacis, Fauônioque
Vos cõmitto. Agite: inſulamq; ueſtrũm
Vnuſquiſque ſuam lubens reuiſat.

FINIS.

AD CVLTORES ISIDIS.

Iſidis aſſiduè ripas qui fluminis altas
Incolitis tacito uenerãtes pectore numẽ,
Accipite arguto redeunteis carmine cygnos
Aurea quod feriat reſonanti ſidera uoce.
Gloria perpetuò ſic uos comitetur ouanteis,
Et fortuna parens tribuat fauſtiſſima quæq;

AVGVRIVM.

Vergilius cecinit celeberrimus ille poeta.
Aſpice bis ſenos lætanteis agmine cygnos.
Vos decet augurium uatis pernoſcere magni
Sortis & euentum felicem amplectier ulnis.
Qui modò biſſeni repetunt loca cognita Cygni
Candida Muſarum referunt inſignia ſecum,
Iſidis inque uado ſtatuent ſua regna perennes.

CYGNEA
AD CANDIDOS BO-
narum literarum amatores.

XIMIÈ suum certè præstitit officium Cygnus cantorum decus immortale, Henrici octaui Regis incomparabilis cum maiestate, tum gloria tam accuratè collaudata: qua parte & nos oportunè admonet, ut eius non modo facta in primis memorabilia, uerum etiam animi ad ipsa uirtutis fastigia conscendentis magnitudinem simili diligentia, labore, studio posteritati expeditè, alacriterque unanimes commendetis: cuius nec uos unquam operæ tam utiliter, splendidè, magnificè collocatæ pœnitebit. Iuuabit potius ista cura, & Princeps uestris, tum eloquentiæ, tum ingenijs, ueris testimonijs accensus incrementa suæ uirtutis meritò approbatæ ampliora, duce bono Genio, feliciter cumulabit: tandemque et uos amplissimarum splendore fortunarum illustrabit. Sic pietas, sic uirtus, sic cõscientia recti monẽt, iubent, imperant. At uos interim, quibus hæc bonis auibus fortuna arriserit, infinitæ à Principe ter optimo liberalitatis collatæ assiduè meminisse decet, quam nõ alio ille nomine prudentissimus exhibuit, nisi ut exemplo uobis, & quidem luculentisscenti

ſimo præſens eſſet: quo rectè admoniti ſimilia enaſcenti literatorum ſoboli benignè, promptè, profuſè conferatis: alioqui eius in uos beneficia omnia, unà cum oleo, & opera funditus periiſſe. Memento tote profeſſionis, cui initiati eſtis, certè, ſi prudentia adſit, & amor recti, longè honeſtiſſimæ. Cauete à ſordibus, tanquam à ſcylla, & charybde. Aequales inſigni artium cognitione conſilio ſano, ac iudicio ſancto promouete. Abſit luxus ſtudiorũ bonorum inimicus longè peſſimus. Adſit aurea mediocritas quietis alumna ſuſpicienda illa. Maiorum in dandis, conſeruandisque fortunis eruditorum mediocribus conſuetudinem nunquam planè ſatis laudatam modis omnibus honeſtis integrè conſeruate: ne uim interim raptores inferant, exquiſitæ, elimatæ, conſummatæ eruditionis cõtemptores iniquiſſimi.

Sint Mecœnates, non deerunt Flacce Marones.

At, ſublatis præmijs, ingenia alioqui feliciſſima frigent planè. Strenuè igitur uenienti occurrite morbo. Sic Principis nullo unquam emorituram tempore in doctos munificentiam felices imitabimini, & ueſtram quoque gloriam, inſtitutum tam undecunque ſanctum Deo. Opti. Max. promouente, perpetuam conſtituetis. Viuite, & ualete.

COMMENTARII IN CYGNEAM CANTIONEM INDICES BRITANnicæ antiquitatis locupletissimi.

Autore Ioanne Lelando Antiquario.

AD SACROSANCTAE antiquitatis amatores

Præterière decem iam sæcula longa, Britannæ
Antiquum gentis delituitq; decus.
Indolui, fateor, potuisse silentia tantum,
Vt premerent patriæ fortia facta meæ.
Admonuit Genius cœlo delapsus ab alto
Ne paterer tenebras solis habere locum.
Nubila discussi cupidus, lucemq; reduxi,
Sedibus inq; suis sidera clara nitent.
Vos antiquarum coletis qui lumina rerum
Plaudite, & autori dicite, viue, vale.

101

37
11 21
402

AD CANDIDOS LECTORES.

ONQVERITVR STVdioſorum chorus multa in meis ſub eſſe libris nuper æditis, quæ inſinuationem, explicationem, denique et lucem deſiderent. Sed interim adeò me hæc qualiſcunque non offendit querela, ut eam, cãdorem, et quidem eximium, adoleſcentum magnis paſsibus ad uenerandæ antiquitatis gratam, exoptandam, utilem etiam cognitionem contendentium facilè interpreter: qua parte nec grauabor inſtituti rationem omnem mei, non modo uerbis, ſed & fide quoque longè optima teſtatiſsimam orbi facere. Credo autem tam ſtupidũ eſſe neminem, aut à communi ſenſu illo alienum, ut inuentis iam frugibus deſideratiſsimis, etiam num glandibus uelit amplius ueſci. Edidici certè, inſtructiſsimus infinita ueterum ſcriptorum non Latinorum modò, uerum etiam Græcorum lectione nomenclaturas urbium, oppidorum, uicorum, ſimul & caſtrorum, ut mittam fluuios, ſyluaſq;, monteſq;, Britannię noſtræ, ſi non mutatiſsimas, certè interim corruptiſsimas eſſe. Quare cogor, uelim nolim, antiquam cum eloquentiam, tum gloriam olim traditam à maioribus uiris planè incomparabilibus, deſuetudine quadam, ac Saxonica barbarie latè inualeſcente, tenebris miſerrimè obductam decori, amplitudini, luci reſtituere. Hic forſitam uidebor quibuſdam ſciolis, argutulis, inuidulis magnificè

interea polliceri. Deprecor hanc culpã, si tamẽ culpa appellãda est. At liceat interim mihi, quod æquissimum peto, cum bona gratia facile obtinere: nempe si me, per commentarios in Cygneam ęditos cantionem, eruditi diligentem, industrium, expeditum persenserint, ut ab iniurijs calumniatorũ saltem immunis sim. Nec noceat uati mala lingua futuro. Operã denique mihi ex hac cultura desumo lubenter omnem. At si herba in lętas aliquando segetes excreuerit, illas ego uestris usibus candidus uel universas offero, consecroq; lectores humanissimi.

Valete.

ELENCHVS AVTORVM
quorum testimonia in præsenti citantur opere.

Externi.
Aristoteles.
Ptolemeus geogr.
Cæsar
Gratius.
Diodorus Siculus
Strabo geogr.
Cornelius Tacitus
Iuuenalis
Vibius Sequester
Sextus Rufus
Pomponius Mela
Antoninus
Ausonius
Agathias
Isidorus
Hiericus
Gotcelinus
Abbo Floriacensis
Robertus Beccensis
Rodolphus Dicetensis
Gulielmus Gemmeticensis
Ponticus Virunnius
Petrus Candidus.
Aretinus
Paulus AEmilius
Lilius Gregorius
Polydorus
Beatus Rhenanus

Britannici
Gildas
Nennius
Samuel
Anonymus
Beda
Flaccus Albinus
Vilibaldus
Felix
Asserius
Obbernus Durouernẽsis.
Marianus.
Simeon Dunolmensis
Ealredus Rhiæuallensis
Gallofridus Monemuthensis.
Henricus Venantodunensis
Gulielmus à Maildulphi curia
Stephanides Durouernensis
Gulielmus Remesegan?

Epitomographus
Aluredus Fibroleganus
Iosephus Iscanus
Ioannes Annæuillanus
Syluester Giraldus
Rogerius Houedenus
Alexander Nechamius
Matthęus Parisius
Thomas Spotteus
Geruasius Durouernensis
Ioannes Hagustaldensis
Gulielmus Thornęus
Ioannes Fiberius
Hugo Albus
Matthęus Florilegus
Ranulphus Higedenus
Thomas Vicanus
Gulielmus Pachēdunus
Thomas Rodoburnus
Henricus Bradeshauus
Ioannes Frumentarius
Ioannes Rossus Veroui canus

Copgreuus
Eliota
Chronica Deiorum
Chronica Fani Eadmundi
Chronica Duri Cantiani
Chronica Dunolmensia
Chronica Iuiaci uadi
Chronica Richomontana
Chronica Ventę Belgarum
Chronica Fani Albani
Chronica Grantana
Chronica Barnouellensia.
Chronica Fani Neoti
Chronica Seueriana
Chronica Fani Fredisuuidæ
Chronica Claudiana

Abbandunum.
Abbingdon.
Seusham.

BBANDVNVM. Saxonicè Abbandune, uulgò Abbingdon. Antiquiori tamẽ nomine Seusham dicebatur. Loco ingens tum fama, tum gloria accreuit à condito ibidem monachorum cœnobio, autore Ciſſa patre Inæ Viſiſaxonum rege quod: poſtea Danica uiolentia, imperante Ealfrido rege concidit. Sunt qui prędicent prima tanti operis fundamenta iacta fuiſſe in Bachelegana ſylua, aliàs Bagley, duobus paſſuum millibus ſupra Seuſham, ut Iſis defluit fluuius, eremitamq; quendam Ciſſę cognitum, pauperem eo loco uitã duxiſſe. Fama refert et aliud cœnobium ad Ochidem, ſiue Oncum fluuiũ. Fanum uidelicet Helenę uirginibus ſacrum eodem concidiſſe tempore. Conſtat ex ſecundo libro Gulielmi à Maildulphi curia de pontificibus Anglorum, Eadredum Ealfridi nepotem regem Viſiſaxonum Abbandunum inſtauraſſe: quo tempore erat domus regia, ſiue caſtellum in Andreſega Riuanum nomine propter ripam Iſidis, non longè à monaſterio, tanq; in mediamni loco: cuius et ad huc paucula extãt ueſtigia. Temporis procurſu Eadgarus rex potentiſsimus magnificè cœnobium auxit conſilio Etheluuoldi, quem ibidem Præfectũ coluit, et paulò poſt epiſcopum Ventæ Simenorum deſignauit. At poſtquam Gulielmus Nortomannus imperio Angliæ potitus fuiſſet, monachi noua cura deduxerunt maiorem partem fluminis Iſidis à ueteri alueo in ipſum monaſterium. Oppidum deinde ſenſim accreuit, et celebritatem hoc uno peperit nomine

Cissa rex.
Ealfridus rex
Bagley.
Oncus fl.
Tamẽ Helenæ
Guilielmus à Maildulphi curia
Eadredus.
Andresega.
Eadgarus rex
Guil. Nortmannus.
Isis fl.

Demetia Cambrorū.

nomine. Via publica á Demetia Cambrorum, et gente Claudiana Londinum uersus, erat per Caleuam. Atrebátum, quæ nunc Vvalengaforde. Abbandunenſes ſuæ rei ſtudentes, fauente Henrico Quinto rege, duplici ponte quadrati lapidis Iſidem uiolẽto, et profundo gurgite ibi delabentẽ peruium fecerunt. Hinc uiatores commoditate illecti, relicta Caleua, per Abbandunum rectà Londinum petebant. Sic creuit in iuſtam magnitudinem fori, et oppidi celebritas,

Caleua Atrebatũ. Vvalengford.

Pons Abbandunenſis.

Alfridus, qui et Ealfredus, et Aluredus. Erat hic quatuor filiorum Ethelvvolphi regis Viſiſaxonum natu minimus, unctus tamen Romæ, uiuente patre, in regẽ: at non apud ſuos regia prius functus eſt dignitate, quàm mors treis fratres natu maioreis ſuſtuliſſet. Debellauit Danos, et unicus ſui ſęculi Mecœnas fuit. Academia ad Iſidis uadum, quæ nunc urbs corruptè Oxforde pro Ouſeforde dicitur, eius beneuolentia, et pietate inſtituta. Huius uiri nunquam ſatis laudati res geſtas ſcripſit Aſſerius Meneuenſis, poſtea epiſcopus Clarofontanus, uel, ut notiori utar uocabulo, Shireburnenſis, cuius ego hiſtoriam plurimi meritò facio, quòd Alfrido regi præceptor aliquando fuerit, et eius factorum oculatus planè teſtis. Henricus Huntendunenſis hunc regem à fortitudine illuſtri carmine collaudat.

Alfridus. Ealfredus. Aluredus.

Dani mĩh.

Oxonij academia extructa.

Aſſerius Meneuenſis.

Alaunus, Anglicè Southeaſlington. Noſtra ętas uicum nominat recentiori uocabulo Maidenheued à capite uirginis ſuperſtitione nuper ibidẽ celebri.

Alaunus. Southeaſlington.

Anachoreticus ſinus, Anglicè Ankervvike, nuper cœnobiolum Virginibus ſacrum plus minus

Anachoreticus ſinus.

quin-

Clarofontanus Shireburnenſis.

quingentis passibus supra Stenū in sinistra, ut Tamesinus amnis defluit, ripa. Hoc templū Deo Opt. Max. posuēre Gulielmus, & Richardus á Monte Fichetio.

Gulielmus et Richardus á monte Fichetio.

Antonius Beccus. Hic fuit episcopus Dunolmensis, regnante Eadueardo eius appellationis ab aduentu Gulielmi Magni in Angliam primo. Electus est in Patriarcham Hierosolymitanum, Anno D. 1105. Splendidus erat supra quam decebat episcopum. Constructit castrum Achelandæ 4. passuum millibus á Dunolmo in ripa Vindugleſſi fluuioli. Elteſhamum etiam uicinum Grenouico, ac Somaridunum castellum Lindianæ prouinciæ ædificijs illustria reddidit. Denique & palatium Londini erexit, quod nunc Eadueardi Principis est. Tandem ex splendore nimio, & potentia conflauit sibi apud nobilitatem ingentem inuidiam, quam uiuens nunquam extinguere potuit. Sed de Antonio fusius in opere cui titulus de pontificibus Britannicis dicemus. Nam illorum res gestas magna cura exquisiui, et maiori propediem in ordinem redigā.

Antonius Beccus

Palatiū Londinū

Atrebatæ olim dicebantur qui ripam Tamesis meridianam accolebant á ponte Fani Ioannis ad Vindeleſoram. Saxones uictores dederunt regioni nomen Berroc shire á Berroc Sylua, ubi buxus abundantissimè nascebatur, si fides Aſserio adhibenda, cuius hæc sunt uerba in ipso Annalium suorum exordio, ubi repætit genus Ealfridi regis in Vanatinga uico eiusdem prouinciæ, nati. Anno D. 849. Natus est Ealfridus Angulsaxonum rex in uilla regia quæ dicitur vvanating in illo pago qui no-

Atrebatæ

Ealfredus Anglsaxonum rex

Berroc shire.

minatur Berroc ſhire, à Berroc ſylua, ubi buxus ꝑ
būdantiſsimè naſcitur. Hactenus Aſſerius. Non me
latet quoſdam eſſe qui prędicent prouinciæ nomen
fuiſſe inditum à nuda quercu, ad quam prouinciales
conuenire ſolebant. Atrebatum meminit Ptolemę-
us, et eo recentior Antoninus. Vixit enim tempori-
bus, ſi rectè memini, Conſtantini Magni, tantum
abeſt ut Antoninus imperator Itinerarium ſcripſe-
rit, quod uulgò circumfertur.

Atrebatij.

Itinerariũ Antonini

Aquædon, Anglicè Eidune, uulgò Eitoune, uicus flumine Tameſino tantum à Vindeleſora diſiunctus. Alluitur autem Fernamenſi amniculo, qui paulo inferius ſe in Tameſim exonerat. Splendor loci omnis in ſchola publica, quam erexit Henricus Sextus Vindeleſoræ alumnus, rex longè pientior, quàm imperio fortunatior, et Venfluctus Simenorum epiſcopus cumulatiſsimè auxit. Ex hoc alueario cõmigrant apes Grantã Giruiorũ, ubi Regiorũ alũnorũ notiſsima ſocietas. Sextus Aquædunenſes prędijs donauit. At bona ędificiorum pars accreuit, ut ego aliquando à fide dignis didici, & opera, & impenſis Gulielmi Venfluctí epiſcopi Ventæ Simenorum. Fauebat is impenſius operi ab Henrico incepto. Sed Eadueardus in regno ſucceſsor parum æquus erat illius et amicis, & factis. Hoc Aquędon, hoc Granta ſentit, ſentietq; ſemper.

Aquædon.

Henricus VI.

Venfluctus Ventæ Simenorũ Epũs.

Auona. Hampton courte. Auondunum propius nomen exprimit. Hoc nomen etiam eſt urbi celebri apud Simenos, quam uulgus Hampton corruptè pro Auondune uocat. Sed nos breuitati ſtudemus. Eſt enim Auon frequens fluuijs nomen

Auona.

apud

apud Britannos.

Auona etiam, qui & Auon celebris fluuius est, qui Bladunum urbem antiquam, alias Maisdulphi curiam à Maisdulphesbyri Saxonico uocabulo sic dictam, penè in insulam redigit: ac deinde Copenhamum, Bradenfordam, et Balnea alluens, Ventam Belgarum, quæ nunc Brighteſtovv, penetrat: paulo que inferius in Sabrinæ æstum defluit.

Auona fluuius qui uulgò, at corruptè pro Auene Neene dicitur, fama notissimus est. Oritur ex duobus fontibus, quorum brachia ad Auonam mediterraneam urbem à fluuio nominatam coëunt. Deinde et toti regioni nomen â flumine Auonia, quam uulgus corruptè Northamptonshire pro Northauondunesshire appellat. Tum uerò Auonæ uallem emporium non ignobile alluit, quod nostra ætas pro Auondale corruptè uocat Oundale. Postremò Petroburgum attingens paulo inferius paludibus Giruiorum immergitur, iunctusq; Isidi, iam Granta auctо, Linum nobile emporium petit, & paucis ab eo loco passuum millibus Oceanum ingreditur.

Auona fluuius numero tertius oritur in Vilugiana prouincia alias vvileshire non procul à Semarij Lupino, uilla splendida. Fluit per Ambrosiam, & Seueriam, ac tandem unà cũ Duro fluuio à quo Duria prouincia uulgò Dorsetshir dicta, et gens Durotriges, nomen accepêre, ad Interamnam, quæ uulgò Tvvinhamburne dicitur, in mare properat.

Auona quartus eius appellationis fluuius per Auonam labitur olim oppidum, et castrum nobilissimorum Bigotiorum Comitum Icenorum, qui

nunc Nordouolcę, et Sudouolcę dicuntur. Nomen autem oppidi pro Auoney corruptè nunc uocatur Bongey. Inde Bellocliuum, et Fanum Osvvaldi nõ incelebria loca alluit, et tandem humili solo latè stagnescens salsis Garieni aquis se immiscet.

Auona denique fluuius qui et numero quintus cæteris fama non cedit. Oritur Nauesbiæ circa limites Auoniæ mediterraniæ. Verouicum urbem cum antiquam tum nobilem alluit: chineglissi etiam castrum, quod nunc Killingvvorth, et Stratofordã: postremò Eouesum, Persoram, ac Theoci curiam, ubi Sabrinæ coniugio se nobilitat. Sunt et alij passim fluuioli in Britannia Auonę nomine. At sufficiat in præsentia quinque maximè memorabilium meminisse.

Polydorus uocat per beino Ch. Kenel: northem. fa. 318

B.

Balnea numero multitudinis urbs non modo antiqua, uerum etiam celebris Romanorum monumẽtis multis, liquidò in muris cõpàret, quà itur à porta meridionali ad borealem. Hanc Britanni sua lingua Cair Badune appellabant, à balneis quanquam minus propriè, cum balnea industria incalescant. Vrbs igitur à Ptolemæo Θέρμη Græco rectius uocabulo appellatur. Thermę etenim natura calẽt. Antoninus hanc urbem nomine Aquarum solis recenset. Beda primo capite primi libri historiæ Anglicanæ de his balneis, secutus Basilij Magni autoritatẽ omilia 4 in opere sex dierum, quod Græcè Ἑξημέρων, nõ ineptè disserit, nisi quòd uocabulo balneorum parum appositè eo sit usus loco. Neque ego certè hoc nomine urbẽ appellassem, nisi admonitus, ut quàm mini-

Bathe
Infra fa. 329.

Aquæ solis

Atqui Plinius hac uoce sic utitur.

De Bathonia polydorus fa. 20. 165.

minimum ab antiquo discedere uocabulo. Gildas Britannicæ scriptor historiæ hanc urbem montem Badonicum uocat: quanquam mons redundat. A Baduno recte formatur Badunicus. Lapsus autem ab V. in O. facilis. Dunus siue Dunum significatione maximè propria montem designat. Et quoniam antiquitus fortitudinis ergò in montibus, ut potè locis natura munitis, et pene inaccessis oppida extruebant: aut quia oppidi effigies consurgens altis tectis, turribusq́, longè intuentibus montis instar est, uisum est uocabulorum formatoribus oppida pleraq; duni terminare nomine. Hic mons est Badonicus, qui usqueadeò male Vrbinatem, utrum alioqui doctum torsit, ut illum impulerit uel ad Blacomoram Brigantum rem ignotam quæsitum proficisci. Gallofridus Monouaganus Britannicę interpres historię figmenta secutus Bladudo regi necromantico Thermarum inuentum tribuit. Vtinam incidisset Gallofridus in historiã probatę fidei. Nèq; hæc dico ut fidem omnem Britannicæ auferam historię, cum multa uerissima illic legantur: sed ut lectores maiori cum iudicio legant. Gulielmus à Malduldphi curia scriptor Gallofrido longè illustrior oratione, plerunque etiam et fide, prædicat libro de pontificibus secundo, creditum ab antiquis Iulium Cęsarem fuisse Thermarum inuentorem. Vt crediderint, certè ego non credo. Tantum salutabat ille à limine Britanniam. Nec ultra Atrebates, quantũ ego intelligo, progressus est. Sunt et alibi Thermę in Britãnia, ne hoc interim studiosus lector ignoret, quà latè patet Doruentania, quę à uulgo Darbyshire

Therme alibi in Britannia.

Mons Badonicus

Vrbinas Polyd. notatus fa. 59.

Bladudus rex necromanticus.

Gallofridus interpres historiæ Britannicæ

Iul. Cæsar.

Thermæ Bretstomanæ.

ſhire dicitur. Locus ubi ſcat ent Bucoſtenum nomẽ habet. Eſt ibi ſacellum Annæ matri dedicatum, appendix parœcię Bacheuellenſis. Hactenus de Thermis.

Bainardi caſtellum. Legi ego aliquando hoc caſtellum in ditione inſignis familię fuiſſe, cui filius Gualteri cognomen, penes quam manſit uſque ad tempora Roberti filij Gualteri, quo deficiente à Ioanne Anglorũ Rege ad Francos, iuſſu Angli euerſũ eſt. Sęuitum et eodem modo in reliquam Roberti filij Gualteri hęreditatem. At an id temporis caſtrũ, quod antiquitus Londini ad Fluctum amniculum ſitum erat, teſte Stephanide ſcriptore, fuerit caſtrũ Bainardi dictum, non poſſum certò pronunciare. Eadueardus 4. rex Angl. caſtrum refecit quod nũc Bainardi nomen obtinet.

Fluctus am. Stephanides

Baterſega uilla non admodum magni nominis Laurentius Bouthęus archiepiſcopus Iſurouicanus uulgô Eboracenſis, hîc prdiolum dato præecio Nicolao Stenolẽgo ſibi comparauerat, ut in ſeceſſum ſe conferret, quoties uel Londini, uel palatij, quod ibi habebat planè magnificũ, ſatietas eum caperet. Vnde et uillę fama, ſplendorq́ accreſſere cœpit. Nomen autẽ loco inditũ, ut ego cõijcio, ex cymbis.

Bellinus ſinus Angl. Bellineſgate à Bellino Britannorũ rege, ut produnt ſcriptores, & fama refert publ. nomen accepit, et adhuc retinet. Tradunt etiã & caſtruum porticulo uicinum ad orientem Bellini nomen antiquitus habuiſſe.

Bellus locus ędes uel in primis illuſtres apud Saxones orientales, quæ non multis ab hinc annis

Nouę

Nouę aulę nomine gaudebant, possidente eas Botelero Ormundię Comite: deinde & Thoma Bononio eius ex filia nepote, et hęrede Vilugię Comite. Sed cum illustrissimus Henricus octauus, permutatione cum Bononio facta, ędes sibi comparasset, cęperunt in immensum excrescere ingentibus Principis impensis, nouūq́, iuxta ac elegans nomē Belli loci adsumere.

Botlerus Ormundiæ comes.

Bermundi insula Anglicè Bermundesege locus humilis, ac palustris. Hic Alvvinus uir nobilissimus, teste Ioanne Fiberio Visimonasteriensi annalium scriptore, et Matthęo, qui Flores historiarum collegit, monasterium construxit, quod partim donationibus Gulielmi Magni, et Gul. Rufi regum Anglię: partim etiam Valerani in iustam excreuit magnitudinem. Erant autem ante conditum monasterium amplissimæ ędes in Bermūdi insula, quas ego certè puto fuisse Alvvini, et in nouę fabricę usus cessisse.

Birinus. Missus hic fuit ab Honorio pont. Ro. tanquam apostolus ad Anglos. Peruênit ad Visi saxones, et beneficio Kinegilsi regis, quem unà cū D. Osualdo Trāsabrinorum rege baptizauit, ac dono accepit Hydropolim, alias Durocastrum, oppidum Romanis non incognitum, situm autem in ipsa Tamę ripa, in sedem episcopatus sui. De hac donatione scribit Beda quinto cap. tertij libr. Anglicę historię. Acta hæc circiter annū á Christo nato. 635. Successerunt in episcopatu uiri fama clarissimi, donec Remigius Nortomannus sedem Lindum transferret.

Birinus fa. 165 infra

Branodunus. Nomen illustris familiæ apud Icenos

nos, qui nunc Volcæ. Ad uerbum è Britannico Latinè interpretatur. Coruinus mõs. Brane etenim Britannicè coruum, Dune uerò montem significat. Non multum abludit ab hac compositione et aliud nomen Brirannis celebre, uidelicet Brennodunus, id est Regius mons.

Brentford.

Brenta fluuius oritur in sylua Henodunensi, tribus à Barneto uico passuum millibus defluit per radices Aroi montis ad Vilodunicos agros, tandẽ se exonerans in Tamesim paulo inferius Brentæ uado, uico Danorum fuga celebri.

Brigantinum ciuitates.

Brigantes gens Hyperborea, quorum meminit Cornelius Tacitus scriptor elegans, et rerum Britannicarum, nempe à Iulio Agricola socero edoctus suo, non ignarus. Meminit et eorundem Ptolemęus, adfirmans hanc gentem et occidentale, et orientale littus inhabitasse. Connumerat etiam Epiacũ, Vinnonium, Caturactonium, Calatum, Isuriu m, Rigodu num, Olicanam, et Eboracum Brigantum ciuitates. Vbi autem sit Epiacum non dum perdidici. Crediderim Vinnonium eam fuisse urbem, quę nunc Bin cester prope Vedram sita, non procul ab Achelanda, uilla rustica est, uia lapide trans flumen strata insignis, et famosa fictilibus tubulis, tessellatis pauimentis, et numismatibus Romanis frequenter erutis. Calatũ uerò, ut ego iudico, ea fuit, quæ ab Antonino, et Beda Calcaria dicebatur, Saxonicè Hele caster. Nisi quis putet Tadecastrum uicum celebertrimum uicinum eam fuisse. Rigodunum eam dictã arbitror, quæ nunc Ripodunum, et hæc quoq; antiquitatem ostentat suam. De Olicana quidam id pro

Vedra.

Vinnonium.

Calatum.

Rigodunũ.

nunciat

nunciat, quod ego non omnino affirmo, nẽpe eam esse, quæ modo Sacra sylua aliás Haligfex dicitur. Eam igitur incolebant regionem, quam nunc Eboracenses. Absurdum profectò erit posthac Brigantes cum Hectore Boethio Scotto in Gallouidia quę rere. Antoninus etiam mentionem facit Brigantũ, quo loco de Isuria antiqua urbe scribit. Porrò Iuuenalis satyra decima quarta hoc uersiculo Brigantes gentem, ut ego opinor Hispanicam, nominat.

Dirue Maurorum attegias, castella Brigantum.

Neque desunt qui suspicentur Brigantes gentem Britanniæ aquilonarem à Brigantibus Hispaniæ nomen, et originem traxisse. Sed ego nihil in re non dum subtiliter excussa affirmo.

Britannię numero plurali dictę ad distinctionem primæ, et secundæ, quarum Sextus Rufus, qui de prouincijs scripsit, meminit. Est autem prima, quæ citra isthmum, quę uerò ultra secunda, nunc Scotia dicta: de quibus et Beatus Rhenanus Selestadiẽsis in opere de rebus Germanicis illustrem facit mentionem. Syluester Giraldus Meneuensis homo antiquitatis Britannicę studiosus Vibium Sequestrem, ut ego arbitror, sedulò imitatus de Britanniæ diuisione ita scribit libello Distinctionũ secundo: ubi de aduentu Fugatij, et Damiani apostolorum ab Eleutherio Romano episcopo in Britanniam missorum meminit. Britannia prouincias habet numero quinque. Britanniam primam, Britanniam secundam, Flauiam, Maximiam, Valentiam. Prima dicta est pars occidentalis insulę, quia primum in illa Britones Bruto, et Corineo Ducibus applicuerunt, eaq;

Oliana. Halifex. Isuria. Britanniæ. Syluester Giraldus. Britanniæ prouinciæ quinq. Sextum Rufum consule fa. Ab. Hora Haticiam pop. Ro. fa. 112

Sylvester Giraldus.

primo à Corineo & ſuis & occupata eſt, & habitata. Britannia ſecunda Cantia, quia ſecundò à Bruto, & ſuis inhabitata fuit. Tertia Flauia hoc eſt flaua, quę dicitur et Mercia, quaſi mercibus abundans, caput cuius eſt Londonium. Quarta Maximia, id eſt Eboracia ab imperatore Maximo ſic dicta. Quinta Valentia ab imperatore Valente ſic dicta, Albania ſcilicet, quę nunc Scotia. Hactenus Giraldus, cuius nomen in Decretis Romanorum pontificum celebre. Erat ille quidem ſuo eruditus ſęculo: attamen tantum abeſt ut hanc eius de Britannia in partes diuiſa interpretationem in ſolidum admittam, ut apertè auſim pronunciare illum ſubinde in interpretatione impendiò hallucinatum fuiſſe. Ineptum planè quod de prima, et ſecunda ſcribit Britannia. Et eiuſdem farinæ eſt, quod infert de tertia Britanniç prouincia. Flauiorum familiam longè nobiliſsimam, à qua et Conſtantinus Magnus originem duxit, ulnis amplector. At flauam repudio, unà cũ Mercia, quę à Mercis Germanica gente, uel limitanea non à mercibus nomen accepit. Illud quod de Bruti in Britanniam aduentu adfert, quanuis temporum iniquitate ſublatis antiquiſsimorum ſcriptorum monumentis, nec illuſtrium Græcorum, aut Latinorũ iuſtis, quòd ego ſciam, teſtimonijs confirmetur, in optimam planè accipio partem, ingratiſsimus alioqui, ſi inſtructus ſatis domeſticorum ſcriptorum non leui autoritate, peregrina, et exotica foris anxiè diſquirerem. Interea igitur magni meritò facio monumenta ingeniorum, et antiquæ cognitionis, quę priores noſtri non uani, ut Polydorus cenſor certè moleſtiſsimus impe-

imperio quodam suo prædicat, gratè, candidè, opor
tunè etiam posteritati religione iusta ducti consecra
uêre. Gildæ fragmentum quod circumfertur non
meminit Bruti. Quid tum. Hoccine satis est ut elu=
dant, aut pernegent Brutum in Albionem cum suis
transmigrasse? Collectio, ita me Dialectica amet, fri=
gidissima. Nennius Britannus scriptor non contem
nendus affirmat Brutum nomen Britanniæ indi=
disse, quãquam et Britonis etiam meminit. Gallofri
dus Monęmuthensis Britannicę fidem secutus historię
idem uel constantissimè adfirmat. Constat testi=
monio Aristotelis in libello de mundo, atque adeò
aliorum Græcorum, Britanniam principio Olbio=
nem & Albionem fuisse dictam. Nec deest autor lu
culentus, qui scribat nomen insulæ inditum ab Albi
one gigante Neptuni filio, cuius et Pomponius
Mela meminit. Gigantes autem Olbionem incolu=
isse uerissimum est. Poêta qui epitomen Britannicæ
historię edidit, sic de gigantibus Albionicis scribit.
Terra ferax, et amœna situ dum nomen habebat.

Albion indigena plena gigante fuit.

Ioannes Annæuillanus libro Architrenij, si rectè cõ
puto, sexto hæc recitat de gigantibus.

Hos auidum belli Corineus robur auerno
Præcipites misit, cubitis ter quatuor altum
Gogmagog Herculea suspendit in aêra lucta,
Anthęumq; suo scopulo detrusit in æquor.

Vidi ego passim, cum totam perlustrarem Briran=
niam ossa gigantea. Ter etiam nostro sæculo Lon=
dini inuenta eiusmodi ossa inter fodiendum. Iugu=
lus columnę appendet in Fano Laurentij ad Prę=

 rium

Brutus nõn Albionem aliquando descendit.

Gallofridus Monemuthensis.

Gigantes in Britanniâ.

Mela.

rium. Crus inuentum me puero in arenarijs prope crucẽ Charinianam. Denique et craneum amplissimũ erutũ est Visimonasterij, cũ iacerentur fani fũdamenta, in quo Henrici Septimi ossa conquieścũt, manifesto sunt indicio. Vidi etiam ossa gigantea Dori Cantiorum, Sturoduni Durotrigum, Londini quoque in cœmeterio Paulino. Inuẽta et Gallouini ossa ingentia, uel, ut ego rectius arbitror gigantis alicuius, unà cũ sepulchro in Rossia prouinciola Demetarum, teste Gulielmo Maildunensi libro de Regibus Anglicis tertio. Denique annis ab hinc paucis sepulchrum gigantis in Cornubia erutum. Quin omissis gigantibus ad Brutum Britannicę gentis parentẽ redeo. Epitomographus Britannicę historiæ, hæc quæ sequuntur de Bruto canit.

Dicitur à Bruto sortita Britannia nomen,
Dicitur et Bruti Britto fuisse genus
Pars Corinea datur. Corineo de Duce nomen.
Patria deq; uiro gens Corinensis habet.

Ioseph. Iscanus

Ioseph. Iscanus poëtarum suo sęculo delicium, et facilè princeps in Antiocheide sic canit.

His Brutus auito
Sanguine Troianus patrijs egressus ab oris,
Post casus uarios consedit finibus orbem
Fatalem nactus, debellatorq; gigantum,
Et terræ uictor nomen dedit.

Ioannes Annęuillanus poëta, ut illa ferebãt tẽpora, certè egregius his uersiculis Britannia à Bruto nomen accepisse clarissimè ostendit

Hęc eadem Bruto regnante Britannia nomen.
Traxit in hoc tempus.

Alex-

Alexander Nechamius, cuius in doctis artibus cognitio nõ modo Britãnis suis, uerũ etiã Gallis, & Italis atq; adeò orbi uniuerso incredibili cũ admiratione ita innotuit, ut miraculũ ingenij diceretur, his uerbis in libro de sapiẽtia diuina magnificè Bruto assurgit. Dehinc Bruti tellus est dicta Britannia maior.

Nam minor Armoricos gaudet habere sinus.

Et alibi

Quos Bruti claudit insula clausa mari.

His, alijsq; multis edocti Britanni testimonijs sanè luculentis, iure quodam optimo Brutum tanquã sui generis indubitatum parentem mordicus retinent, et precipuè Cambri. Gloriantur illi quidẽ se à Troianis originem accepisse. Qua parte non solum fidei unius Gallofridi Monæmuthensis uerum etiã Nennij, qui trecentis amplius ante eum annis floruit, innituntur: tantum abest ut iustè hoc inuentum Gallofrido interpreti Britãnicę historię obijciat uel Gulielmus Paruus Nouoburgensis, uel Polydorus Vrbinas. Bene habet interim quòd Ponticus Virũnius causam Gallofridi defẽdendã susceperit, aut rectius Gildę, cuius uersiculos Gallofridus primo Britãnicę historię libro uel ignoto, uel ingratè suppresso autoris nomine recitat. A Gallofrido autẽ uersus nõ fuisse cõpositos uel hinc constat. Referunt enim aurea fluentes uena antiquitatis inimitabilem quandam cum eloquentiam, tũ maiestatem, qualem Gallofridus poëta suo tempore minime malus, ut liquidò apparet ex prophetico Merlini Syluestris libello ab eo in carmen redacto, cum admiratione facilius potuit suspicere, quàm felicius exprimere. Quare operę precium erit carmen hic subijcere, ut nomen

Alexander Nechamius

Nennij ætas.

Gul. Nouoburgensis. præfationis

Ponticus Virunnius.

Gallofridus Monumethensis.

Gildæ carmen ad Dianam, votiuũ.

men Bruti eximium diffusis orbi radijs plenius eluceat. Consecratum autem carmen est, uotis multis, Dianę uenatrici. Nam Britannia illis nemorosa temporibus fuit, ferarumq; altrix.

Hæc etiam reperiuntur apud Huntingdonensem.

Diua potens nemorum terror syluestribus apris,
Cui licet anfractus ire per ęthereos,
Infernasq; domos, terrestria iura resolue.
Et dic quas terras nos habitare uelis.
Dic certam sedem, qua te uenerabor in æuum.
Qua tibi uirgineis templa dicabo choris.

Agnosco hîc numen eloquentiæ, quod et suspicio, uenerorq; religione permotus quadam. Sequitur fauentis Dianę respõsum elegans, rotundum, propitium. Crediderim planè Deam heroicum quiddam in Bruto penitius deprehendisse, quod beneficio magno posteritati, et æternitati commendatissimũ relinqueret. Sic enim magnifica respondet.

Brute sub oceasum solis trans Gallica regna
Insula in Oceano est undique clausa mari.
Insula in Oceano est habitata gigantibus olim,
Nunc deserta quidem, gentibus apta tuis.
Hanc pete, nanque tibi sedes erit illa perennis.
Hæc fiet natis altera Troia tuis,
Hîc de prole tua reges nascentur, et ipsis
Totius terræ subditus orbis erit.

Gildæ poetæ Cambreis

Ponticus Virunnius pronunciat Gildam poẽtam Britannicum uersiculorum quos recitaui fuisse scriptorem, eiusque operis meminit, cui illustris titulus Cambreis. Hęc ille de Cambreide loquens. De qua etiam libro quinto epigrammaton Gildas Britannus poẽta sic canit insignis.

Iocun

Iocundæ totiens cecini tibi carmina Cambres

Lilius Gregorius Gyraldus Ferrarienſis dulce decus omnis antiquitatis non Latinæ modo, uerum etiam Græcę ita in quinto de poetarum hiſtoria dialogo de Gilda Britanno loquitur. Gildam etiam memini me legere Britannicum poëtam, his, ut puto longè antiquiorem, cuius tum mihi elegiacum carmen mira facilitate conſcriptũ uiſum fuit, nec ideò aſpernabile: quem poſtea etiam citatum reperi in peruetere Britannica hiſtoria. Hactenus Lilius. Adducor certè ut credam alterum hunc fuiſſe à Gilda hiſtoriographo. Phraſis, dictio, elegantiaq; carminis maiora promittit, quàm ſperanda quidem à monacho tam barbaro ſęculo nato. Quare Gildam poẽtam ab hiſtoriographo alterũ iudicio quodã per ſua ſus certo non temerè cõſtituo. Liceat nunc Britannis cum bona uenia originem à Troianis, et Bruto ſuo repetere. Fecerũt idem et Itali, et Galli, multęq; aliæ gentes gloria infinita illa Troiani nominis illecti. Quales Britanni initio fuerint non temerè definio'. Doctiſsimorum eſto iudicium. Scio interim Ioſephũ in opere, cui titulus Antiocheis, hęc magna cum laude ceciniſſe.

Inclyta fulſit.
Poſteritas Ducibus tantis, tot diues alumnis
Tot fœcunda uiris, premerent qui uiribus orbem,
Et fama ueteres. Hinc Conſtantinus adeptus
Imperium Romam tenuit, Bizãtion auxit.
Hinc Senonum ductor captiua Brennius urbe
Romuleas domuit flammis uictricibus arces
Hinc et Sæua ſatus, pars non obſcura tumultus

Ciuilis

Ciuilis, Magnum solus, qui mole soluta
Obsedit, meliorq; stetit pro Cęsare murus.

Non desunt et alij melioris notę scriptores, quorum opera, et diligentia antiqua Britannorum uirtus elucet. Iosephus cuius carmen elimatum pręposui unus multorum breuitatis causa instar erit. Hoc certè constat cultores Britannię eo iam gloriæ peruenisse, ut cum gente quauis alia omni uirtutum genere facilè contendant, hostesq; iugo premant. Tantũ hoc defuit palmæ antiquissimorum Britannorum, quòd ante Romanorum in insulam aduentũ operi manuario, & militię studuerint potius, quàm literis, quibus famam posteritati prorogarent. Artium, & bonarum literarum cognitio eo tempore certè omnis penes solos Druides fuit, quibus et Greca lingua tantum non familiaris. Strabo geographus libro quarto Bardos, & Vates adijcit, hæc referens. Bardi quidem laudationibus, rebusq; poeticis student. Vates autem sacrificiorum naturaliumq; causarum curę dediti. Coniectura ducor eo tempore uulgus Britannorum ineruditissimũ fuisse, ac prorsus non potuisse linguę suę uoces calamo depingere. Quo etiam morbo et plerisq; alię gentes omnes barbarę laborabant. Caroli Magni temporibus cœperunt barbaræ gentes aliquot suæ linguæ uoculis chartas pingere. Rudiores Hungari ne adhuc quidem aptè suo idiomate scribunt. Cęsar meminit numismatum Britannicorum, et annulorum, quibus in permutatione utebãtur. At ego, qui excusserim omneis Britannię angulos, et tantum antiquarum rerũ uiderim, ne unum quidem, quod sciam, Britannicè

inscrip

Cur Britannorum veterum numismata nulla per Angliam reperiantur.

inscriptum inueni: cum tamen Romanorum numismatum passim per agros Britannicos erutorum pene myriades uiderim. Causa autē cur Britannorum numismata nulla appareant hæc est. Cautum fuit edicto Ro. imperatorum seuero ne quis in Britānia nummis uteretur nisi signatis imaginibus Cęsarum, idquod et ex Gildæ sapientis historiola liquidò cōstat. Et quandiu imperium Britanniæ in prouinciā redactę penes Romanos stabat, tam diu necesse erat Britannis magistratum gerere cupientibus Latinè loqui, etiam si non purè putè. Vnde et prouincialis linguę ortum apud Britannos, ut arbitror, nomen. Vulgus tamen magna cum difficultate, et id quidē corruptè discebat. Tabulas donationum omneis, & rationes alicuius momenti Latinè scribebant. Hęsit tamen in lingua, in fibris, in animo apud uulgus sermo Britannicus. Qui sunt peritiores linguę Britannicę, qua nunc Cambri Britannorum reliquiæ utuntur facilè sentiunt infinitam uim Latinorum uocabulorum consuetudine Romanorum in colloquiū uulgo familiare irrepsisse. Cætera uocabula Cambrici idiomatis partim Hebraica, partim Græca, partim barbara sunt. Sed latius in præsentia expatiatus sum dum solicitè hoc ago, ut Britanni splendore sui Bruti, à quo unà cum patria fama super æthera nota nomen accepere, illustrati, Troiani meminerint generis, factisq; parentem uicturis assiduè exprimant. Forsitan hîc quispiam dixerit me bellè munus perornasse meum, subesse tamen, quæ diuersū suadeant, et Brutum non magis quàm Britanniam ab eo denominatum negligant, contempnant, renciāt

Romanorum edictum

Britannica lingua vetus, unde Rom. sermone corrupta

denique. Qua parte, ut ueritatem à calumniatorum impetu prætenso clypeo fortiter protegam, aperte significabo quibus armentur telis. Nennius confirmator magnus Bruti, ne uarietatem scribentium de origine Britannica aut consultò prætermisse, aut non cognouisse uideretur, Britonis cuiusdam, filij Hisicionis alias Isiconis, qui fuit filius Alani de genere Iapheti, mentionem facit, significans se legisse apud quendam historiographum ab hoc Britones nomen accepisse: quam tamen opinionem recitauit potius, quàm confirmauit, prælata meritò Bruti gloria. Sunt et aliquot prætereà obscuræ famæ scriptores, qui leuiter Britonis, et Britonũ nomen attigerunt. Scriptoribus antiquis Græcis Βρεττανία percognitum nomen. Britannia Latinis, At Britonum utrisq; infrequens. Ausonius Burdegalensis salsiusculè ludit in Syluium Britonem. Profectò crediderim eo tempore Britonum nomen exortum, quo Romana eloquentia, et gloria unà cum Britannia ad inclinationem uergebant. Sunt qui putent Britones gentẽ fuisse continentis Galliæ ad littus Armoricanũ, inter quos & Volaterranus Polydori initructor, & olim in Britãniam cõmigrasse. Sed ea opinio à nuda prosiliens cõiectura iudicio doctorũ explosa est. Agathias Græcus libro secũdo de bello Gothico scribit Britones Hunnicã esse gẽtem. Nil igitur antiquitus Britonibus cum Armoricano littore cõmune. Cornelius Tacitus hæc refert in uita Agricolæ. In uniuersũ æstimãti, Gallos uicinũ solũ occupasse credibile est. Eorũ sacra deprehẽdas superstitionũ persuasione. Sermo haud multũ diuersus. Hęc ille. At Tacitus

citi illud, credibile, rem tanquam ueram, cum sit uox incerta, non pronunciat. Nuda planè coniectura est. Nam et superius scripserat parũ compertũ esse. Quantum autem ad sacra pertinet, crediderim potius cum doctis scriptoribus, & maximè Cæsare, quẽ Britannicarum rerum cognitio aliquãdo occupatissimum iusta detinuit cura, Gallos à Britannia quàm contrà, suorum rituũ persuasionẽ accepisse: id quod uel facilè hinc liquet, quòd Galli ad Druides Britãniæ incolas de more missitabant quæsitum de uerarũ rituum cum interpretatione, tum cognitione. Denique quantũ ad idioma pertinet, sũ penè eiusdẽ cũ Tacito sententię. Nunc mihi negotiũ, nec illud quidem leue, erit cum illis, qui contendunt Britannos olim gentẽ uagã, syluestrẽ, inconditamq; fuisse, & à brutis moribus nomẽ desumpsisse, inter quos et Hierichus primus est, ut liquet ex his uersibus desũptis e tertio eius operis libro, quod de uita D. Germani episcopi Altisiodorẽsis carmine heroico scripsit, et Carolo Magno dedicauit.

Insula ni uasto terrarum plurima ductu
Alterius penè nomen conduceret orbis
Edicto ueterum uocitata Britannia, brutis
Barbara quòd furiat gens ultrò moribus omnis.

In hac etiam hæresi fuit Isidorus Hispalensis episcopus, ut apparet libro nono Etymologicon. Horũ ego iudicium non ex autoritate scriptorum probatissimorum enatum, aut ex uiuis fontibus hausitum, quin potius à lacunis temerè deriuatũ, discutio lõgè rectius, quàm admitto. Colligo utrunque in barbariẽ planè incidisse sęculũ, quo bonę artes omnes, unà

cum eloquentia, et genuina illa antiquitatis cognitione frigebant. Vt concedã Britannos aliquando rudes, uagos, et incompositum genus fuisse: an ideo ratione ęqua statim bruti dicẽdi? Minime. Tales initio fuere gentes pleræq; omnes, ne Græcos quidem, Italosue excipio, qui tamen postea societate ciuilitate, æquitate coniunctissimi illustribus factis, quemadmodum et Britanni, gloriam sui nominis uel longissimam fecerunt, posteritatiq; memorabili exemplo, uirtutis titulo fuerũt. Eliota amicus noster ille candidus inter Græcos uersatus contendit beneficio cuiusdam uetustissimi exemplaris, oportuna usus coniectura, Britanniam antiquitus à rerũ affluentia Prytaniam Græcè, nomine à re aptissimè desumpto, dictam fuisse. Hęc memini legere me in Vibij Sequestris libro de regionibus, ac prouincijs. Calabria quæ primitus ab antiquis Prytania ob immensam affluentiam totius delicij, atq; ubertatis. Hæc ille. Industriam Eliotæ collaudo. Cupiebat ille hac coniectura Britanniæ gloriam appellatione et eleganti, & significanti extendere. Nec interim tamen coniecturas ullas tanquam certa promittentes statim recipio, ne forte uidear iudicio ualentibus patriæ ingratus, neglecto, aut contempto Bruto incõparabili, ac ab antiquis, nostratibus maximè receptissimo. Postremò ille certè corrigendus, et oportunè, error est, quo quidam imbuti, et temeritate potius, quàm iudicio ullo saltem certo freti, deprædicant Britannos ex Armoricano littore primum in Albionẽ commigrasse, nouumque Britanniæ nomen insulę indidisse. Beda uir citra controuersiam omnem doctus

doctus, at non perinde in penetralibus Britannicæ antiquitatis uersatus, scribit hoc modo primo capite primi libri Anglicę historię. In primis autē insula Britones solum, à quibus nomen accepit, incolas habuit, qui de tractu Armoricano, ut fertur, Britanniam aduecti australeis sibi partes illius uendicauerunt. Hic certi nihil pronunciat, tantum dicit, ut fertur. Quo loco, si fidem à lectoribus sibi dari uoluisset, aperte autoris nomen, cuius opinioni subscripsit, produxisset, ut et sic pondus, fidemq; dictis solidam adiiceret. Polydorus tamen uir alioqui tum elegans, tum doctus ex hoc Bedæ loco errorem hausit, haustumq; in libris conseruat. Tam difficile est dediscere, quæ semel male aliquis didicerit. Quid interim fiet de iudicio Cæsaris. Ille quinto cōmētariorum libro Britannos mediterraneos Αυτόχθονας appellat, tanquam in ipsa terra genitos, quod antiquioris originis essent, quàm ut generis sui primordia cognoscerent. Diodorus Siculus libro sexto bibliothecæ suę hęc refert. Britanniam incolere tradunt Aborigenes. Liquet communi scriptorū suffragio incognitum fuisse Britannię nomen oræ Armoricæ, ante Maximi, qui Britannis insularibus prefuit, tyrannidem. Britanni indubiè Armoricę à se deuictę nomen imposuêre nouum, quod uel ad huc retinet. Commigrationis autem Britannorum in Armoricam cum maximo Gildas in sua historiola, & Beda in libro de ratione temporum titulo Theodosij, luculentam faciunt mentionem. Vt concedam Brutum, & Britannos aliquando soluisse à littore Armoricano Albionem petituros: an statim hoc ad

Beda.

Maximus ex Britannia tyrannis in Armoricam

Gulielmus à Maidulphi curia.

misso constabit Britannos colonos fuisse tractus Armoricani? Nihil minus. Nam aliter ipsa Gildæ uerba pronunciare uidentur. Exin Britannia omni armato milite, militaribus copijs, rectoribus licet im manibus, ingenti iuuentute spoliata, quę comitata uestigia supradicti tyranni domum nusquam redijt. Hactenus Gildas. Si ergo domum non redierunt, quem locum, aut quas possidebant sedes? Certè nõ alias quàm Armoricanas, quibus uictores patriæ suæ nobile dedêre nomen, Armoricanorum et gloria, et appellatione sensim cadente, ac tandem pereunte. Nennius Britannus de hac quoque transmigratione in sua oportunè scribit historia. Quin & ista fusius, luculentius, atque adeò certius, additis ad cumulum Constantini Magni triumphis maximis depingit Gulielmus à Maildulphi curia in prima de regibus tabula his lineamentis. Constantinus, ut aiunt, uir magnæ ciuilitatis Constantinum ex Helena stabularia susceptum egregię spei iuuenem reliquit hæredem, qui ab exercitu Imperator salutatus, expeditione in superiores partes indicta, magnam manum Britannorum militum abduxit, per quorum industriam, triumphis ad uota fluentibus, breui rerum potitus, emeritos, et laboribus fũctos in quadam parte Galliæ ad occidentem super littus Oceani collocauit. ubi hodieq; posteri eorum manentes in immane coaluêre, moribus, linguaq; non nihil à nostris Britonibus degeneres. Et ibidem paulò inferius: Succedentibus annis in eadem insula Maximus, homo imperio aptus, si non contra

Gildas.

Nennius

Constantinus.

Constantinus abduxit manum militum ex Britannia

Maximus.

Helena Stabularia.

Gulielmus à maidulphi curiâ, Maildunensis. 129

contra fidem ad tyrannidem anhelasset, quasi ab exercitu impulsus, purpuram induit, statimq; in Galliam transitum parans, ex prouincia omnem pene mili tem abrasit. Constantinus etiam quidam non multo post ibidem spe nominis Imperator allectus, quicquid residuum erat militaris roboris exhausit. Sed alter à Theodosio, alter ab Honorio interfecti, rebus humanis ludibrio fuêre. Copiarum, quę illos secutæ ad bellum fuerant pars occisa, pars post fugam ad superiores Britannos concessit. Hæc Maildunensis fusius reliquis scriptoribus narrauit, exorsus à Constantio patre, & Constantino filio Imperatoribus. Quid, quòd & addidit ad Maximi tyrannidem præter communem morem nostrorum scriptorum, Constantini alterius imperij inuasoris facinus, suppliciumq;? De hac quoque transmigratione, & nomine Armoricæ in Britanniam continentis mutato, Henricus Venantodunensis in sua accuratè scribit historia. Vt interim mittam Aluredi Fibrolegani, Geruasij Duroueruensis, Ioannis Anglici, Ranulphi Higedeni Castrensis illustrissima de eadem transmigratione testimonia. Hæc, quæ autoritate uirorum illustrium confirmatus adduxi, si non satis comprobant Armoricam Britanniæ continentis nomen à Britãnorũ insularium commigratione accepisse, & Britannos cõtinentis nullam unquã appellationẽ indidisse nostrę Britãnię, disquirãt per me importuni calũniatores crassiores umbras, quibus gloriã frustra conẽtur Britannici splẽdoris obfuscare. Ego interea

Constantinus de quo Gildas.

Henricus Huntingdon.

Jul. Cæs. Scall. in urbib. fa. 404.

terea loci strenuè causam meę patrię defendam, et famam eiusdem modis quibus possim omnibus promouebo, augebo, ornabo.

Bustelli domus. Angl. Bustelesham. Erat aliquã do sedes Templariorum, quorum existimatione de crescente Mons acutus à Seueria comes collegium Canonicorum Augustinianorum ibidem instituit. Ab eo tempore Bustelli domus consecratum est principibus uiris Montis acuti.

C.

Caleua nobilissima semper Atrebatum ciuitas, de qua et Gręci, et Latini scriptores mentionem fecerunt. Ptolemeus hęc scribit. Atrebatij, & eorum ciuitas Νακοῦα. Sic enim Caleuã, ut mihi uidetur, inuertit Gręcus codex. Sunt qui adfirment hanc urbem eam esse, quę nũc Isidis uadi nomine censetur. Sunt et alij qui Caleuam dicant eam fuisse urbem, quam in solitudinem redactam uulgus hodie Silcestre uocat, quod à Pontibus, alias Rheadingo plus minus septem passuum millibus distat, & tribus à Basingo. Sunt porrò qui Guldęfordę Caleuam quę rant. Sed has coniecturas non magni facio. Puto certè Silcestre eam antiquitus fuisse urbem, quam Henricus Huntẽdunensis libr. quarto historię suę dicit á Britannis antiquitus Cair Segent fuisse appellatã. Sita autem est in ipso limine Auonię littoralis non in ripa Tamesina, ut habet Huntendunensis, ni sit corruptum exemplar. Erat & urbs altera Segontiũ nomine, quam Cairaruon nostra ætas uulgò appellat, quòd è regione Monę, quæ nunc Anglesega dicitur, sita sit, Mea plane opinio semper fuit, atq; adeò

Caleua. Vide infra fo. 174.

adeò nũc eſt, Caleuã eam fuiſſe urbẽ, quę nunc Vva lengaforde dicitur. Facilis lapſus erat mutare V. geminatum in G. & rurſus G. in C. N. autem litera cum inuertitur fit V. lta ex vvalena orta eſt corrupta Caleua. Quanquã et Antoninus Gallenę memi= nit. Facies, ſitus, antiquitas, ſpatium, magnificentia denique arguunt Vvalengaford olim urbem fuiſſe clariſſimi nominis. De uallo, foſſa profunda, et arce penè inexpugnabili, nihil dicam. Dani, deuicta hac urbe, cuſtodiam, et preſidium arci magnum impo= ſuerunt. Bona pars murorum urbis Danicis procel= lis cecidit, nec ab eo tempore inſtaurata. Ab aduen= tu Nortomannorum Brientius urbem, & caſtrum poſſidebat, quem Gulielmus à Maildulphi curia in tertio Nouellæ hiſtorię libro Limitaneũ, id eſt Mar chionẽ Vvalengafordę appellat. Comes etiam De uanus, ſiue Caſtrenſis eandem, niſi me fallit memo= ria, ſub ditione tenuit. Matildis filia Henrici primi ab Iſidis uado clam fugiẽs Stephanum tyrannũ, hic ſe occuluit. Comites Coriniç urbem, et caſtrum poſ ſidebant. Inter quos effloruit Richardus ſemper Auguſtus rex Romanorum, filius autem Ioannis regis Angl. & frater Henrici tertij, cuius opera ca= ſtrum inſigniter reparatum eſt, ut refert Matthæus Pariſius. Fuit Vvalengaforde oppidum percelebre uel ipſo Eadueardi tertij imperio: quo tempore in= gens peſtis per duodecim urbis parœcias immiſeri corditer graſſata eſt, et tãtum nõ deſolatã reddidit. Cupiebat ueterem Richardus ſecundus loco reſti= tuere dignitatem, datis diplomatibus, & ueſtigali= bus diminutis. Votum tam honeſtum ſuos non ha=

Walengaford

Edinburga extincta ab Eboraco . inde . Fludd . fu . 40

buit successus. Ab illo decreuit quotidie urbis gloria, et, à constructione pontis Abbādunici & Duro castrensis, uiatoribus ab antiqua semita declinantibus, tantum non concidit.

Edingborowe

Castrum puellarum, uulgo Eidenburge, regia Scottorum sedes, de quo multa Hector Boethius in sua refert historia. Hęc urbs aliquoties ab Anglis uim passa est, & nuper igne fœdè deflorata, uictore Anglo, tota penè concidit.

Cerui insula.

Cerui insula. Anglicè Ceortesege, uulgò Chersey in ipsis penè Regnorum finibus sita est. Ego aliquādo legi Erchēualdum filium fuisse Offe regis Ostroāglorū, natumq; Stallēuorti apud Lindisios. Sororem habuit Ethelburgam uirginem pudicissimam. Fuit hic episcopus Londinēsis, & duo erexit cœnobia, de quibus Beda in ecclesiastica historia mentionē facit. Fritheuoldus, teste Mariano Scotto, & Gulielmo à Maildulphi curia, subregulus beneficio Vvolpheri Regis Merciorum Erchēualde adiutor fuit in constructione Ceortesegani cœnobij. Ethelburga uirgo Berechingi uirginibus uelatis pręfuit.

Chausega, uulgo Cheausey. Erat hic antiquitus nobile monasterium, sed concidit ea calamitate, qua Dani totam latè Atrebatum prouinciā deuastabant. Instaurata tamen posteà pars aliqua pristine dignitatis Cheauseganę, habuitq;, ut ego colligo, Canonicos, quos prębendarios appellant. Tabulę donationum in Rheadingensi monasterio Rogeri Decani Cheausegani mentionem faciunt. Illud liquidò constat Henricum Belloclericum Angliæ regem præ-

dijs

dijs Fani Leonis, id est Leonminster, & Cheausegę nouum monasterium suum, quod magnificentissimè Rheadingi erexerat, dotasse, misertum, ut referunt, neglectæ in illis locis religionis. A quo tempore seruiebat Cheausega Rheadingo. Nunc uillula est non alio certè clara nomine, quàm quòd Domino fructus uberes reddat.

Cheua uulgò kevv. Villa elegans. Aedes autē non multis ab hinc annis constructę tempore Henrici septimi à quodam pœnuarij, ut ego audiui, præfecto.

Claudia. Britannicè Cairglo. Angl. Gloceſter. Claudiæ nomen celebrauit Ciul, à Maildulphi curia cum dedicaret illustre opus historiæ suę de Angl. regibus Roberto Claudiano notho Henrici primi, at precipuè in libro de Põtificibus Anglicis tertio. Nennius Britannus Claudię meminit: sed adfirmat ab alio quam Claudio Cęsare urbem nomen accepisse. Annales Britannorum referunt olim sedē hic fuisse episcopalē, antistitemq; habuisse Eldadum. Adornauerunt hanc urbem claris ædificijs reges multi. Præcipuè Ofricus subregulus Comes Claudianę prouincię, & regibus Merciorū sanguine coniunctus, maximè Etheldredo, cui & familiaris, ut ex Chronicis Claudiani monasterij liquidò apparet. Fuit: hic Ofricus postea Rex Transhabrinorum Sed Danica tempestas cœnobium Ofrici fœdè tractauit, uirginesq; Deo sacras fugauit. Sunt qui scribant hoc factum flagrante bello ciuili inter Egbertum Regem Visisaxonum, & Mercios. Successere in uirginum locum Canonici. Tandem expul-

Claudia Cair glo

Nennius Britannus

sis illis, inducti per Canutum regem, consultore Vvolsteno episcopo Vigornienſi, monachi. Sed de Claudia fusius in libris de Ciuili historia, siue de antiquitate Britannica dicemus.

Cissa inter Saxones nobilis pater Inæ regis Visisaxonum, & erector Abbandunensis cœnobij.

Couæ

Couæ, duæ arces munitissimæ à loco in quo sitæ sunt sic dictæ. Vna orientis, altera occidentis titulo elucet. Stant autem in ipsis Neoportus faucibus, quà aditus in Vectam insulam. Est in hoc æstu castrum antiquum à Britannis Cairbro dictum. Cair enim Britannicè castrum, aut urbem muris cinctam. Bro autẽ æstũ maris significat. Vnde & Penbro id est caput æstuarij, urbs notissima Demetarũ, quę nũc Penbroc. Sylvester Giraldus in Itinerario suo Penbro interpretatur caput maritimum. Huius castri ius omne ab aduentu Nortomannorum erat penes Rigidios, sic enim interpretor Redde Gallicum nomen, & Reddeur est rigiditas. Aptius est proprium nomen in ius quàm in us terminare, alioqui dixissẽ Rigidus. Inter Rigidios, quos uulgus scriptorum Reduerios, & Riparios corruptè appellat, Richardus Henrici. 2. consobrinus connumeratur. At alter prænomine Balduinus in primis illustris fuit, quem Vectæ comitem fuisse testantur multi rerum Anglicarum scriptores. Hunc ego esse puto Balduinum de Betona, sic forsitan à natali solo dictum, Comitẽ Vectę, qui beneficio Richardi Regis in uxorem duxit filiam, & hęredem Gulielmi Comitis Albæmarlæ, ac Holdeirnessię: quo titulo multum ei accessisset ad dignitatis cumulum, si prolem de ea suscepisset

Sylvester Giraldus

set. Duxerat ante Balduinus Vectanus in uxorem Ioannam filiam, & heredem Gulielmi Vernonij Comitis Deuoniæ: quo coniugio auctus est altero Comitis honore. Mortuo Balduino, eius uxor filia Gulielmi Grossi Comitis Albemarlæ secundò nupsit Magnouillano, uulgò Mādeuille. Tertiò etiam nupsit Gul. de Fortibus, qui Skippoduni castellū à Gul. Grosso socero suo magnificè inceptum, magnificētius absoluebat. Ditio Albemarlę, Vectæ, et Deuoniæ ad hos Fortios peruenit, & honos uterq; in Isabella Fortia cessauit. Rex Eadueardus, si rectè memini, tertius precibus, et precio ita per interpretes cū Isabella egit, ut hęc uiuens ius omne suū de Vecta insula illi perpetuò remitteret. Hoc pacto Vecta peruenit in possessionem Principis.

Curia. Saxonicè Byri Sic enim uocant breuitatis studio, Alias appellatur lingua uernacula sainct Eadmundes byri, id est Fani Eadmundi curia. Habebat hoc oppidum antiquius nomē. Dicebatur enim Latinè Bedericia, Saxonicè Bederichesvvorth. At postquam reliquiæ Eadmundi regis Ostroanglorū à Danis interfecti Aquilæduni, uulgò Hoxton, sed corruptè pro Eglesdune, 33. annis quieuissent, translatæ sunt Bedericiam consensu Ostroanglorum, tāquam ad locum celebriorem. Fama refert nomen Eadmundi multis ibi inclaruisse miraculis. Anno autem D. 925. et secundo Ethelstani regis collegiū sacerdotū Bedericię institutū est, sacrum uidelicet Eadmundo. Nec longo post tempore Canonici Prębendarij ibidem instituti, ac oppidum Eadmundi titulo nominatum. At Canutus Danus Anglorum

Curia byry

Bedericia

Canutus Danus

imperio potitus consilio Aiwvini episcopi Vlmetensis, alias Helmeham, Canicos expulit, ac monachos substituit. Deuenerat ante hæc tempora Bedericia oppidum in usum Canonicorum liberalitate Eadmundi regis patris Eadgari. Post aduentum Gulielmi Nortomanni in Angliam, Heruæus ædituus Fani Eadmundi oppidum muro cinxit, unde & statim magnificentiora urbi ædificia addita.

Quid ego hic pluribus collaudo Curiam uerbis? Vnum hoc tantum addam, solem non uidere urbem situ elegantiorem: Sic molli delicata pendet in cliuo, & riuulus ad orientẽ defluit, aut cœnobiũ illustrius, siue quis dotationem, seu amplitudinẽ, aut magnificentiam incomparabilem æquis rationibus expendat. Diceres planè cœnobium urbem esse: tot portæ, partim etiam æreæ, tot turres, et templum, quo nullum magnificentius, cui & alia tria egregio opere nitentia uno, & eodem cœmeterio sita subseruiunt. Amniculus, de quo superius, medijs monasterij septis illabitur, duplici ponte arcuati operis peruius.

D.

Dela Saxonicè, ut ego arbitor Dale. Locus est in littore Cãtiano inter Dorin, & Rutupinũ urbes Romanis cognitissimas, ubi solũ humile, & subsidens descendentibus è nauibus facilem in insulam aditum præbet. Fama publica est in promontorio Cantiano Iulium Cæsarem à portus Durensis aditu prohibitum, hîc in terram loco oportuno descendisse unà cum copijs suis, & castra in spatiosa illa planitie, cui nunc nomen Barendunia, posuisse

suisse. Neq; his dissimilia referunt chronica quæ ego aliquando legi de rebus Dori gestis.

Deiri gens notissima rerum Saxonicarum scriptoribus, quorum leuiter meminit Samuel homo Britannus, Beda autem fuse .14. cap. 2. libri Anglicæ historiæ, & alibi. Incolebant latam regionem ab Abri flu. ripis ad ripas Tyssę. Bernicij uerò de quibus & Beda etiam cap. præcedenti scribit, sedes habuerunt à Tyssa ad Tuesim flu. & ultrà. Vtraque gens principio imperij Saxonum in Britannia suum Regem retinuit. At temporum interuallo utrunq; regnum in unum coaluit. Deiros crediderim à ferarum syluis ubi uitam ducebant appellatos. Θήρ Græcum est, fera Latinum, unde Saxones damas, & ceruos Deire patrio appellabant uocabulo, hac tamen scribendi lege, ut Θ Græcũ in D. uerterẽt, transfixa prima literæ parte uirgula, quam & Thorn sua nominabant lingua, quòd uirgula spinulæ exhiberet speciem. Beda syluę Deirorum libro quinto historię suę capit. 2. his uerbis meminit: Berthunus abbas monasterij, quod uocatur Derevvald, id est Deirorum sylua. Hactenus Beda. Hic locus hodie celeberrimus est, & à fibris aquaticis illis Fibrilega Latina compositione appellari potest, quanquam indoctũ uulgus oppidũ Beuerley uocat, clarum uidelicet Ioannis olim archiepiscopi Isurouicani, siue Eboracensis consuetudine, sed clarius Ethelstani regis de Scottis triumphis, ac liberalitate, quam vel hodie deprædidicant. Illud non est silentio prætereundum, quòd ea Deiriæ pars, quę subsidet, & Hullo flu. ab ostijs re-

Deiri.
Samuel Brittannus.
Bernicij.
Reges Deirorũ et Bernicorum
Deirorum Elumor
Deirorũ sylua infra fa. 150.
Fibrilega.
Beuerley opp.
Hullus fl.

De Deiris infra fa. 329. ubi Brigantes eos facit. Beda fa. 7.7.6 Vide Lambardũ fa. 33. Vide infra fa. 203. Vide Etiam fa. 150. Vide et Balæum fa. 102. 75.

Holdernense.

reflui Abri, alias Humbri, tanquam extrema meta diſcluditur, uulgò Holderneſſe uocatur, quod Latine ſic redditur, cauæ Deirię peninſula. Terra enim ibi ſe extendit in mare, id quod cum fit Cherroneſus dicitur. Non tamen ita ſe extendit, ut propriè Cherroneſus dici poſſit. Libellus qui inſcribitur, at incerto autore, de antiquitate Deirorum, hęc refert: Caua Deira reſpectu altioris inter mare, & Humbrum, Et quia extẽditur inſtar naſi, additur hęc ſyllaba Neſe, & dicitur uulgo Holdernes. Mihi quidem non arridet hic naſus. Sequar igitur priorem interpretationem. Quę ueró ſequuntur ad hunc modum in eodẽ libello aliquantò lucidiora ſunt. Deirvvalde locus nemoroſus, id eſt ſylua Deirorum. Hęc poſteà Beuerlac, quaſi loeus, uel lacus caſtorum dictus à caſtoribus, quibus Hulla aqua uicina abundabat. Hactenus antiquitatum ſcriptor. At ego ut caſtores, et locum facilè admitto, ita lacum reiicio, & amplector priorem Fibrilegę cõcinnationem: niſi quis Fibrolegam Grecam compoſitionem prętulerit. Saxones ſcribebant Beuerlege. Recentiores in huiuſmodi terminationibus commutauerunt plerunque lege in, ley. Hoc loco, principiò monaſteriũ erat uirorũ, & uirginũ egregiè à regibus donatũ, ſed bellis Danicis cõflagrauit. Eathelſtenus poſtea Scottorũ debellator collegium Canonicorum ibidem inſtituit, & liberalitate ampla inſtitutum inſigniuit, aſyli immunitate addita.

Libellus de antiquitate Deirorum.

Beuerlege.

Eathelſtenus, Scottorũ debellator.

Derentus flu. Angl. Derente. corruptè, duabus literis mediis ſublatis, Derte. Coniectura eſt quorundam & probabili hunc flu. olim appellatum fuiſſe

Do-

Dorguin, alias Dorguēt Britānico uocabulo, quod Latinè aquam lucidam, & perspicuam significat. Facilis mihi quidem uidetur lapsus à Dorvvente in Derente. Oritur hic flu. Titesegę, quę Regnorum in finibus sita est uilla. Spectabilis autem est Craij, & Derenti confluentia in ipso Derenti uado. Origo Craij cernitur Dorpenduni uulgò Orpington: quod nomen Britannicum Aquę caput montanę Latinè exprimit, quasi ipsos fontes, et originem flu. significans. Loca non obscura alluit, & tandem Derenti uadū uic ūcelebrē attingens, Derenti petit alueum, quo loco uiatoribus penè peruius est. Nup mœstus cœnobium uirginū Doruenta cingebat, opus Eadueardi à Gulielmo Magno regis Anglię eius appellationis tertij. Nunc lętissimus palatiolum Henrici octaui regis, opus undecunq; splendidum, admiratur, amat, colit. Paulo inferius Doruenta pleno alueo Tamesim fluuiorum regem ęstum marinum patientem ingreditur.

Deua. Britan, Cair leon ar dour Devv. id est castrum Legionis super Deuam flu. Ar Devv à Britannis consultè additum, ut flu. titulo distinguerent à Cair leon arvviske, quam urbem Romani Iscam appellabāt. & Iscelegiam. Antoninus scriptor Latinus hāc urbem Deuam à flu. appellat. Beda. 2. cap. 2. libr. historię Anglicanę urbē Cairlegion appellat, secutus Britannos. At saxones aliud indidêre nomen, uidelicet Legecester à legionum castro, ut apparet ex Rogeri Houedeni historia. Admiror interim quę autoritas eo deduxerit Gulielmū à Maildulphi curia, ut libro de episcopis Angli. 4. scriberet Legio-

Doruenta fl.

Deua

de qua supra fa. 43.

Cairlegion

Legecestria.

Cestria urbs.

Gulielmus a Maidulphi aura lapsus: similia somma habet Ranulphus Higdenus.

Legionū urbs.

num urbem inde dictam, quòd emeriti milites Iulia narum legionū illic consederint. Ego uerò palàm pronuncio nec legiones Iulij, nec ipsum Iulium eò peruenisse. De Deua flu. fusius hîc scriberem, nisi nuper in libello, cui titulus Genethliacō in gratiam Eadueardi Principis ędito accuratè pinxissem Tegeum lacū, Penlinię ornamentum magnum, à quo defluit, ac præterea cursum illius omnem ad ipsa usque ostia. De antiquitate, & magnificentia huius urbis scripsêre quidem multi, at fusissimè Ranulphus Hygedenus, & Henricus Bradeshauus monachi Castrenses: ille in historia, cui titulus Polychronicon: hic in uita D. Vverburgæ uirginis. Sentijt magnam hęc ciuitas cladem tyrannide Ethelfredi Nortabrinorum Regis, at maiorem longè persecutione Danica, qua tantum non funditus concidit. Ethelfleda filia Ealfridi Magni, et coniunx Ethelredi Comitis Merciorum, quam Henricus Huntendunensis eleganti carmine uel ad sydera tollit, urbē & reparauit, & exauxit. Leofricus Merciorum Comes uir tum nobilissimus, tum optimus Deuę gloriam insigniter promouebat. Idem fecit & Lupus Comes gēte Nortomannus. Tandē Petrus quidam coronidem magnificentię addidit eó transferens Lichefelda sedem episcopatus, Gulielmo Magno Anglis imperante.

Supra fa. 40.

Supra fa. 51.

Ranulphus Hygdenus. Polychronicon.

Clades Cestriensis.

Episcopatus Cestriæ translatus Lichefeldā

Doris, siue Durus urbs fama celeberrima in ipso promontorio Cantiano, quam nostra ętas Douer appellat, unde ad Morinos transitus, at, ut ego conijcio, nō breuissimus. Est autem breuissimus, ut rerū nauticarum peritissimi pronūciant, ab Hithino portu

Breuissimus traiectus ab Hithino portu ad Gessoriacū.

tu, qui uulgò Hiue, ad Geſſoriacum urbem Morinorum, nunc Bononiam, quamuis alij aliter ſomniẽt, indubiè dictam. Sed nec interim Bononię nomẽ recens admodum. Ammianus Marcellinus, qui Cęſarum res geſtas ſcripſit, huius meminit, ſed Bonnam, ni codex mendoſus, ſubinde appellauit. Doris originem traxit ab ὕδωρ Græco uocabulo. Britanni etenim, detruncata ypſilon litera, aquam ſua lingua Dor, ſubinde et Doure, auctis duabus literulis, uocabant. Neque aliud quicquam eſt Douer, ſi R. ſuo loco reponas. At an fluuiolus qui urbem allambit, Dori, ſiue Duri nomen antiquitus retinuerit, non temerè affirmo. Illud adfirmare poſſum, bonam partem urbiũ Cantij à Dour Britannico uocabulo nomenclaturam accepiſſe. Sunt argumento, & quidem manifeſto, Durobreuũ, quod nunc Hroſeceſter, Durouernum uulgò Cantevvarebyri, id eſt Cantiorum curia, & Doris urbs quæ modo Douer dicitur. Tradunt annales Dorenſis cœnobij Aruiragum Britannorum Regẽ arcem penè inexpugnabilem prope urbẽ in montis crepidine poſuiſſe. De hoc rege ſic ſcribit Iuuenalis poëta ſatyra quinta, dum Neroni fœdè adulatur.

Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Aruiragus.

Erat tunc temporis Dori portus nauibus percommodus inſtar lunæ, cornibus in orbem pene concretis. Sed tempus edax rerum, procellæ, uenti denique fluctuum refluorum uiolentia, ita utrinque ueteris portus cornua concuſſerunt, ut ablatis illis apertum littus uel urbis mœnia attingat. Hinc fit

ut ingens calculorum uis æstus impulsu aggeratur. Incredibile quidem dictu, quantum thesauri, exhausetit Henricus Octauus Rex potentissimus, dũ studet stationem, & portum cõmodum classi suæ hîc constituere. Si quis uerò nũc contenderet portũ hîc olim nõ fuisse, Antonini Itinerariũ nõ cõtẽnẽdũ illi obijcerem. Illic enim portus Dubris, nomine tamen corrupto, meminit. Nec interim Rutupinũ aut Limenicũ portum silentio obscurauit. Vnde colligo hos tantũ treis portus apud Cantios antiquitus fuisse celebreis. Referunt & idẽ annales Lucium regem Britannorũ Christianũ, ecclesiã Seruatori suo in Durensi Castro cõsecrasse. Eadbaldus Cantiorũ Princeps Ethelberti Magni filius, cõsilio Laurentij archiepiscopi Durouernensis, Canonicorũ in eodẽ castro collegiũ instituit, quos postea Vitredus Rex Cantiorũ aliò transtulit, uidelicet in uicinã urbem, Fano Martini magnifico opere in eos usus exstructo, quod uel hodie desolatum insignẽ præ se fert, uel foro medio, antiquitatem. Sed manum de tabula. Alibi de his rebus fusius dicemus.

Dubris

Dorobreuũ. Medua hic flumen vocatur in archiuis

Dorobreuũ, alias Durobreuum, cuius mẽtio est semel, atque iterum apud Antoninũ, urbs sita est in ripa Vagę fluminis, qui modò Medevvege dicitur, media penè uia, qua itur à Londino Dorouernum. Saxones hãc postea à Hrof, uiro quodam primario, et urbis Domino, Hrofcester appellabant. Huius quoque appellationis Beda. cap. 3. libri. 3. historiæ Anglicæ meminit. Nomen etiam Hrofi adhuc uiuit in quadam Cantiorum familia. Paulinus episcopus Durobreuensis fuit, & secundus, si rectè computo

Paulinus Epus Durobrevensis

puto, Ithamarus, cuius cum literas, tum uitam collaudat Beda. 13 cap. 3. libri historię suæ. Multas hęc pertulit urbs calamitates, et belli, et incẽdij. Ethelredus Rex Anglię infensus Cãtijs, urbẽ uarijs adflixit modis, et Canonicos Fani Andreæ fugauit, qui tamẽ posteà suo iuri restituti sunt. Gundulphus Cadomẽsis, episcopus Rofensis Canonicos expulit, ac monachos monachus induxit, ut apparet ex Eadmeri historia. Lugebat longo tẽpore Rofa põte aut rupto, aut nõ confecto. Robertus Collinus, qui uulgo Knolles Gallomastix ille, miseratus urbis solicitudinẽ, magnis ausis uiolentissimũ Vagæ fluminis gurgitẽ uicit, iactis noui pontis fundamentis.

Robertus Collin

Dorouernũ alias Durouernũ Ptolemęo Daruernũ emporiũ totius Cantij illius, teste Cęsare, humanissimi emporiũ longè frequentissimũ, & Romanorũ aliquãdo in Britanniã uenientiũ palatiũ, à Duro flu, uicino, qui nunc Sturus dicitur, quãtũ colligere possũ, nomẽ accepit, seruauitq; inter eruditos. Syluester Gyraldus Meneuẽsis hæc refert. 2. Distinctionũ libro: Dorobernia à Dour Britãnico uocabulo, quod aquã significat, quoniã aquis abundat. Hactenus ille. Sed uulgus posteà urbẽ Cantevvarbyri, id est Cãtiorũ curiã, appellauit. Britãni, Romanicq; hic tẽplũ posuerũt Christo Seruatori sacrũ, cuius gloria Saxonibus paganis latè Cantium occupantibus defloruit, & posteà, Ethelberto Rege ad Christum, Augustino Romano concionante, conuerso, refloruit. Calamitates non paucas bello Regulorum Angliæ intestino passa est hæc ciuitas. At ea longè maxima fuit, cum Dani, regnante Ethelredo Principe infortunatissimo, urbe capta, omnia ui,

Dorouernũ

Dour & Sl.

Syluester Gyrald

Templũ Cãtij.

Rudidibrasmus Cantuariā condidit. fa. 244. Balæ.

cede, flammis confunderent. Osbernus Præcentor Durouernensis in elegantissimo libello de uita Ealphegi archiepiscopi Cantiorum, huius nefandę cladis abundè meminit. Houedenus etiam historiographus hanc tragœdiam tam apertè, & lucidè ob oculos lectoris ponit, ut hinc cuiuis pio facilè lachrimas excutiat. Lāfrancus Ligur beneficio Gulielmi Magni archiepiscopus urbem Cantiorum, & Fanū Seruatoris utcunque restituit. At interim pars magna mœnium diruta iacebat. Simon Sudocurianus archiepiscopus homo pius, at impiè à seditiosis securi percussus, maximis sumptibus mœnia, quę partim occidentem, partim boream spectant refecit. Cætera huius urbis cum monumenta, tum facta illustria ab eius alumnis scriptoribus fidelissimis, uidelicet Eadmero, & Geruasio, monachis Fani Seruatoris, ac Thoma Spottæo, & Gulielmo Thornęo Fani Augustiniani monachis sunt quærenda.

Dunolmēsis à Dunolmo urbe nō obscura deducitur. Nomē autē loco antiquitus inditū fuisse puto à Dune, & Holme. Constat enim Dune Britannicè montem significare. Holm uerò eminentis loci, interdū & syluosi, & aquis circūsepti uerticem, aut eminentiam exprimit. Exemplo sunt Holmehurste, id est locus editus syluam ferens. Axholme superioris Lindię insula. Stepeholme, & Flatholme insulæ Abrini maris. Vrbs hæc penè tota fluuio cincta est, quem Ptolemęus primi nominis geographus Vedram appellat. At ætate nostra Verus dictus, olim etiā et Vvirus, & Murus, nisi antiqua Bedæ exemplaria corrupta. Veri flu, ab origine cursum, & ipsis

Stockholm: regia Sueciæ: quæ sita in Aquis fundamenta habet palis stabilita.

& ipsis fontibus accuratè perscribere præsentis non est instituti. Tantum significabo bicornem esse originem, ex Burna, & Skello amniculis, nec Veri nomen esse cognitum antequam cornua uno confluant alueo: id autem fit plus minus. 20. passuum millibus occidentem uersus ab Achelandia, quò orientem uersus defluit, insignis ibidē Vindugless, alias Vandeles, confluentia. Deinde Dunolmū urbē 4. passuū millibus distantē receptis aliquot amnibus allābit, peninsulāq; facit. Postremò decurrēs spatio plus minus. 8. miliariū mare petit eo loco, cui Veri ostiū nomē. Hìc fuit monasteriū Petri quod toties à Beda laudari meruit, unà cū Ceolfrido abbate uiro incōparabili. Origo Dunolmēsis urbis, & episcopatus nō tam antiqua est, quā uulgus eruditorum existimat. Operæprecium igitur erit dignitatem episcopalis sedis ab ouo repetere, et huc recta, sed breui oratione perducere: id quod commodissimè faciā beneficio historiæ ab incerto autore de rebus Dunolmensium tanta cura, & fide scriptæ, ut una illa meritò quidem dici possit thesaurus ingens Transabrinę antiquitatis. Tanta, tam uaria, tamq; recondita in ea rerum memorabilium cognitio. Exemplar uerò commigrauit à Dunia in Cantium. Crediderim certè bonam operis partem à Simeone Dunolmensi Præcentore, uiro suo sęculo eleganter erudito, fuisse scriptam. Huius ego aliquando historiā ab hac diuersam de rebus gestis Anglorum legi, quam & inchoauit cōmodè à morte Bedę perstringens illustria facta & Anglorum, & Danorum, spatio quadringentorum & uiginti nouem annorum,

ac

ac quatuor menſium: cui et alij uiginti quinq; anni appendebant, autore Ioanne Haguſtaldenſi. Hîc mihi non placet Rogerius Houedenus, uir alioqui laudandus, qui ſerinia Simeonis, ſuppreſſo eius nomine, ſtrenuè compilauit, & aliena pro ſuis gloriæ auidulus, ſuppoſuit. Sedes epiſcopalis Northabrinorum, principiò conſtituta eſt ab Oſualdo rege Chriſtianiſsimo in quadam inſula Lindiſfarna nomine, quæ ab oſtijs Tueſis, ubi nunc Abreuicũ, urbs bello clariſsima, plus minus octo paſſuum millibus diſtat, & æſtu recedente pedibus aditur. Lindis fluuiolus ex Glini ualle, ſi rectè memini, ortum habẽs huc properat per Hagredunum caſtellum, & ſabulo, abſente æſtu, ſupernatans, è regione inſulæ, cui nomen dat, Oceanum petit. Non hîc celabo ſtudioſum lectorem, me aliquando deprehendiſſe ex uetuſti codice bibliothecæ Ventę Silurum hanc inſulam à Britannis Inis Medecaute fuiſſe dictam, cuius nominis, & Gildã teſtem citat, alterum, ut uidetur, ab illo, qui publicè circumfertur. Quin et Ponticus Virunnius, qui epitomen Britannicæ hiſtoriæ ex Gallofrido Monęmutenſi decerpſit, recitat uerſiculos ex Gildę Cambreide, cui & Lilius Gyraldus ſubſcribit. Noſtra ętas locum diuerſo appellat uocabulo, nempe ſacram inſulam, Anglicè Halig Eilande, à reliquijs ſanctiſsimorum uirorum ibi quieſcentium. Aidanus homo Scottus primus fuit huius loci antiſtes. Quis facilè crederet quantum prædiorum donatione Principum, huic ſedi accreuerit? Ingruentibus longo poſt tempore Danis piratis, & oram pelagi orientalem immiſericorditer deuaſtan

Honedum.
Lindisfarna Insula.
Abreuicum.
Lindis fl.
Hagredunum.
Inis Medecaut Insula.
Ponticus Virunnius.
Gilda Cambrey.
Halig Eilande.
Aidanus Scotus.

stantibus, non potuit Sacra insula impias manus effugere. Spoliata igitur solitudinem patiebatur ingentem, de qua Flaccus Albinus, qui & Alcuinus, Eboracensis, uir illis temporibus longè eruditissimus, utpote pręceptor Caroli magni, & academię Parisiorum instaurator, in libro epistolarum suarum semel, atq; iterum, precipuè uerò ad Higebaldum scribit. Hac clade coacti sacræ insulæ ministri, unà cum Eardulpho episcopo, sedem, que iam. 141. annis inuiolata floruerat, tandem reliquère, Anno à Christo nato. 875. Tum uerò uel totum septennium cum reliquijs Cutheberti Lindisfarnensis episcopi longè sanctissimi in certis discurrebant sedibus: tandemq; Cragum Brigantum, ubi tunc temporis monasteriolum erat, peruenerunt. Est uicus fama notissimus septem passuũ millibus distans à Monachopoli, alias Nouo castello, et quinque à Dunolmo, cui nomen à Cono fluuio pręterlabente, & mox in Verũ defluente, inditum est. Saxones hanc sua lingua uocabant Conecestre, de qua clarissima mentio tum apud Simeonem, tum etiam Houedenum scriptores rerum gestarũ illustreis. At uulgus, detruncato nunc uocabulo, uico Castri nomen imposuerunt. Hunc locum Eardulphus sedem sibi, suisq; constituit. Ecce rursus ingruũt Dani, cum Conocastrenses interuallum quietis nacti, nihil minus expectarent. Fit fuga altera, secumq; deferunt chara D. Cutheberti pignora Ripodunum usque. Sed, pace post quatuor menses reddita, Alduinus episcopus cogitabat Conocastrum unà cum suis repetere. Inter eundem oraculo admonitus corpus Cuthe-

Alcuinus Eboracensis.

Alcuini Epla.

Eardulphus Epus.

Cuthebertus Lindisfarnensis Epus

Monachopolis Novocastell.

Conus fl.

Conecestre.

Eardulphus.

Ripodunũ.

Conocastrum Novocastell

Corpus Cuthberti Dunolmum portatum.

berti Dunolmum perduxit. Hic locus, et quidem opportunus est, originem Dunolmi altius repetere. Fiet: sed chronicon Dunolmense pro me loquetur, quod fidem lectori, potius quàm eloquentiam promittit. Quanquam et utrunque: Dunelmum locum quidem natura munitum, sed non facilè habitabilẽ, inuenit Alduinus epũs. Nam dẽsissima undiq; syluа totum occupauerat. Tantum in medio planities erat non grandis, quam arando, & seminando excolere consueuerant: ubi episcopus Alduinus nõ paruam posteà ecclesiam erexit, sicut in sequentibus patebit. Præfatus igitur antistes totius populi auxilio, & Vtredi Comitis Northabrini adiutorio, totã extirpans syluam succidit, ipsum locum breui habitabilem fecit. Denique à flu. Coqueda usque ad Teyssam uniuersa populi multitudo tam ad opus, quàm ad constructendam posteà ecclesiam prompto animo accessit, et donec pficeretur, deuota insistere non cessauit. Hæc Chronicon Dunolmense, & plura, quæ studio breuitatis omitto. Constituta hîc sedes episcopalis, quę etiamnum floret. Castellum quoq; à Gulielmo notho Anglorũ Rege Dunelmi positum, ut incursionum uim episcopus repelleret. Creuit templum, immẽsum quantũ. Creuit & urbs, iamq; Dunostallo floret episcopo uiro undecunque eruditissimo.

Chronicon Dunolmense.

Alduinus Epus.

Syluа succisa.

Coqueda. Tessa fl.

Castellum Dunolmense.

Tunstallus Epus.

Durotriges gens nota, ut ex Ptolemęo liquet. Nomẽ autem non multum recedit à uernacula appellatione, qua uel hodie utuntur Angli: uidelicet Dorseteshire menne. O autẽ in prima dictionis syllaba mutatur purgatę auris iudicio, in V, ut mollius,

& ap-

& aptius ſonet, id quod inuenio uetuſtiſſimorũ exemplariũ indicio in Dorouerno, & Dorobreuo, de quibus ſuperius memini, factũ. Doro uidetur quiddam hiulcũ, & penè ſtridulũ perſonare. Sed omitto hæc leuia. Durotriges à Duro flu. non incelebri nomen acceperũt. Ipſa quoq; regio quã incolũt Duria dicta ab eodẽ flu. Aſſerius Meneuenſis in ſuis annalibus hæc refert: Et in pago, qui dicitur Britãnicè Durngueir, Saxonicè autem Dornſeta. Hęc obiter. Nũc Duri flu. originẽ, & curſum breuiter explicabo. Oritur Sturoduni è ſex fontibus boream uerſus, quorũ tres cõſpicui ſunt in roborario Sturodunẽſi, ſepto uidelicet ferarũ amœno. Reliqui tres ebullire uidentur, non admodum diſtantes à prioribus, extra ſeptum tamen. Hi fontes inſignia nunc ſunt nobilis Sturoduni. Illud interim notandũ, quòd Saxones plerunque mutabant Dour Britãnicũ in Stour. Id quod tum in hoc fluuij nomine, tũ etiã in eo, qui Durouernũ Cantiorũ alluit factũ: quo loco ſi à plebe rogaueris, quod fluuio nomẽ ſit, Stour, nõ Dour reſpondebunt. Durus à Sturoduno uico curſum decem paſſuũ millibus accelerans, Regiũ pontẽ penetrat. Hinc, ſeſquimiliari ſuperato, Sturodunũ oppidũ, cognomẽto Monaſterij inſigne, aſpicit. Inferius aliquãto Aquęuadẽſem pontẽ, qui uulgo Eiford, alluit. Tum properat Blãcofordã, ubi emporiũ. Deinde & Vindugladiã nobile oppidum, alias Twvine burne attingens: hinc pontẽ Iulianũ, hinc Alaunicũ inſignè. 12, arcubus gurgite rapido cõcutit. Sexto ulterius lapide, Iuerianũ põtẽ pforat. Poſtremò, confecto duorum milliariorũ curſu, Interamnam, a-

Aſſerius Meneue

Dur fl.

Saxones mutarunt Dour in Stour.

Sturodunũ opp.

Vindugladia oppidum nobile.

lias Fanum Christi, irrigat, ubi Auonæ flu. iunctus, Oceanum suum petit.

E.

Ealphegus archiepiscopus Durouernensis nobilissima natus ex familia. Iuuenis uitam agebat monasticam Deirosyluæ, alias Deirhuste: quod cœnobium in ipso Sabrinæ margine situm erat, non longè à Theoci curia, uulgò Theokesbyri. Deinde & Baduni, ac Vẽtę Simenorũ episcopi titulo iã insignis. Postremò Durouerni in archiepiscopũ cõsecratus est. Ealphegi uitã scripsit Osbernus monachus Durouernensis, uir suo tempore eloquentia ualens incredibili. Ealphegi etiam meminit Gulielmus à Maildulphi curia in opere de uitis episcoporum. Houedenus refert Ealphegum in expugnatione Durouerni á Danis anno. D. 1011. captũ fuisse, et paulò post, quia precium nõ dederat, ab eisdem crudelissimè trucidatum fuisse. Inter quos Trummius, unus reliquis crudelior, securicula mortiferum uulnus eius capiti inflixit. Funus Londinum ad Fanum Pauli delatum est: deinde Durouernum.

Erchenualdus episcoporum Londinensium ab aduentu D. Augustini ad Saxones numero quartus, filius erat, ut ego didici à scriptore nõ ignobili, Offæ regis Ostroanglorum, qui nunc Volcę. Etymon nominis, ut ego coniecturam facio, ab herinaceo, & sylua cõcreuit. Herinaceus Anglicè Erchin. vvalde uerò syluam significat. Vvolde unà tantum mutata literula planities nemoris indiga est: unde & Voldia, campus spatiosissimus Claudianæ prouincię, qui ouium caulis celeberrima, dicta est. De Erchen-

ualdo

ualdo plura in Cerui insula scripsimus.

Ethelredus rex Anglię filius clarissimi Eadgari, & Ealfrithę. Hic in baptismate fontem uĕtris profluuio fœdauit, teste Gul. à Maildulphi curia libro de uita Dūstani Cant. archiepiscopi secūdo. Vnde diuinabant multi futurum illum uecordem, sordidum, & parum rei pub. utilem. Nec uana fuit diuinatio. Eius etenim socordia regnum Anglorum nobilissimum in Dani potestatem peruenit: Quanquam Eadueardus eius filius illud, post imperium aliquot Danorum, recepit. Scripsĕre quidem multi de rebus ab Ethelredo male gestis. Nemo tamen eam partē tam fusè tractauit, quàm Houedenus.

F.

Falensis portus, uulgò Falemuthe. Nomē sumpsisse uidetur à Fala flu. Nam in eiusmodi uocabulis plerūque in lingua Saxonica, fluminis nomē prœcedit, ut vveremouth, id est Veri ostia. Tynnemouth. Vvaymouth, Cokermouth. Ego tamen aliquando audiui quendam contendentem nomē loco ex multis ostijs fuisse inditum. Vtcunq; sit: constat secundum hunc esse à primo totius Britannię portū. Cambri lubenter primas partes suo Alaunico portui, qui nunc Miluerfordicus dicitur, tribuunt. Collustraui Falensem. Bone Deus quantum ibi fidissimę stationis, quantum recessuum, quantum diuortiorū, quantum cornuum. Rursus quàm quieta, quàm secura sunt illic omnia. Non poterat facilè lusisse natura maiori in portu commoditate. Aditus in portum expertis, & amicis facilis, inimicis planè difficillimus. Sic premunt gemina castella portus fauces, & ostia.

G.iii. Inter

Inter utrunque ſtat ingens, & alta rupes Cragus nomine, & ardua mediis in fluctibus minatur hoſti. Si Cragus caſtellum uertice portaret, terrorẽ, & quidẽ magnũ, in portus oſtijs nauigantibus incuteret. At interim incautis infeſta ſatis, dum cæcis rupibus naufragiũ infert. Pennorinũ frequens emporium in monte ſitum intra portũ duobus, aut amplius ab ipſis oſtijs paſſuũ millibus, mercatoribus, & nautis lætum exhibet hoſpitium.

Fluctus amniculus eſt, oriturq; in campis ad boreã Londino urbi uicinis. Vnde nomẽ inditum domui, quæ cuſtodia noxiorum, & plateę uicinę iuxta, ac portæ, quà itur ad Fanũ Pauli: Tantum abeſt, ut à Luddo rege, quẽ hiſtoria Britãnica depredicat, porta nomẽ ſũpſerit. Nõ igitur Luddinã portã à Luddo, ſed à Fluctu, ſiue fluento Fluctuenſem, aut Fluentanam appellabimus.

Fons Brigidę, à Fano Brigidæ uicino nomẽ deſũpſit. Loci, me puero, fama exigua fuit. Creuit primum hoſpitio Volueſeij, qui in flagrantiſſima apud Principem gratia erat. Tum cœpit Henricus octauus Regũ nitela, dirutis plebeię notę ædibus, magnificentiſſimè ibidem ædificare, ac Cæſarem noui palatij hoſpitio accipere.

G.

Germani gens bellicoſa, & rerum cõmutatione uniuerſo orbi nota. Societas mercatorũ Germanicorũ, quę modo ad Pantheõ enitet, tẽpore imperij Eadueardi Vindeleſorani prima illuſtris notę incrementa tulit. Fama eſt Theutones, & Germanos cũ gratos, tũ utiles admodum fuiſſe Eadueardo, cum bello

Cantabrigiam extructam fuisse tempore Barbarossi testatur Grafsonus fa. Gurgunsti 153. 5. 6.

bello Gallum hostem antiquũ profligaret, et Iccium portum ui caperet. Princeps memor beneficij tam oportunè collati, uectigal, quod pendere solebant, minuebat. Et deinde societatem immunitate quadam, & libertate donauit, quam illi uel hodie retinent.

Granta Britannicè Cairgrante. Saxonicè Grantecestre, & uocabulo recentiori Grantebrycge, corruptè autem mutata G. in C. & ablata R. litera Cantebrige, & rursus mutata N. in M. & sublata T. Cãbrige. Nennius Britannicæ scriptor historiæ Grantę meminit in catalogo urbium Brirannicarum. Idẽ fecit Henricus Venantodunensis, alias Huntendunensis, in suo de urbibus elencho: Vt interim omittam Aluredi Fibrolegani non contemnendũ in hac parte testimonium. Bedas 17 capite 4 libri historiæ Anglosaxonum: quo loco de Sexburga Etheldridę sorore, olim regina Cantiorum, at tunc Præside Anguillariani, siue Eligensis monasterij, loquitur, talia cõmemorat: Iussitq; quosdã è fratribus quærere lapidem, de quo locellum in hoc facere possent. Qui ascensa naui, ipsa enim Elig regio undique aquis, ac paludibus est circũdata, neque lapides maiores habet, uenerunt ad ciuitatulam quandam desolatam, non procul inde sitam, quæ lingua Anglorũ Grantecester uocatur, et mox inuenerunt iuxta muros ciuitatis locellũ de marmore albo pulcherrimè factũ, operculo quoque similis lapidis aptissimè tectum. Hactenus Bedas. Felix antiquæ scriptor memoriæ in libro de uita D. Guthelaci Crulandensis anachoretæ, quem Ealfvvaldo regi orientalium Anglorũ à Reod-

Cambrige

Nennius.

Henricus Huntendunensis.

Beda.

Elig.

Anno 1110 Episcopalis sedes in Ely insula primũ instituta, Pascali Pontif. Romano approbante. Lilius

à Reodualdo octauo, ab Vffa decimo, consecrauit,
Grontę his uerbis mentionem facit: Est in mediter-
raneorum Anglorum Britannię partibus immensę
magnitudinis palus, quę à Grontę fluminis ripis in-
cipiens, haud procul à castello, quod dicunt nomi-
ne Grontę, nunc carectis, interdum nigris fusci ua-
poris laticibus, nec non insularum nemoribus inter
uenientibus, & flexuosis riparum anfractibus, ab au
stro in aquilonem mari tenus longissimo tractu pro-
tenditur. Hæc Felix. Abbo Floriacensis in uita E-
admundi martyris non dissimilia in descriptione re
gionis Giruiorum narrat. Gulielmus Rameseganus
monachus Crulandensis, poëta tam barbaro sęculo
clarus, de Gronta sic scribit in uita D. Guthelaci.

Est apud Angligenas à Granta flumine longo
Orbe per anfractus stagnosos, & fluuialeis
Circumfusa palus, orientalisq; propinqua
Littoribus pelagi: sese distendit ab austro
In longum uersus aquilonem, gurgite tetro
Morbosos pisces uegetans, & arundine densa
Verborum strepitus, quasi quędam uerba, susurrās.

Ex his facilè liquet nomen accepisse Grantanā ur-
bem à Granta flumine: Cuius si quis originē, & cur-
sum cognoscere cupit, quę sequuntur attentè per-
legat. Fontes habet è lacu Neoportuensi, qui Neo-
portui oppidulo Ostrosaxonum, unde nomen ac-
cepit, adiacet. Confecto inde duorum milliariū cur-
su, relicta longiusculè ad dexterā Vallidena empo-
rio celebri, uiculū, & cœnobiū eiusdē nominis, olim
sepulchrū Magnouillanorum, & Bohunorum Co-
mitum Ostrosaxonum, pręterlabitur. Hinc ad quar-

tum

tum lapidem, Hichelendunum, nuper uirginibus sa
crum, alluit. Tum uerò, confecto aliquot milliũ pas=
suum defluxu, Baberensem dextrorsum in se reci=
pit amnem, ac non longo post interuallo sinistror=
sum Barendunensem. Mox uicinus antiquæ Grãtę,
Burnam fluuiolum descendentem à ruinis castri sui
nominis, olim sedis Picotiorum Vicariorum Gran=
tanię Comitum, & Piperellorum, ulnis suis ample=
ctitur. Ab antiqua Granta, iam uilla rustica, ad Gran
tanum pontem, oppidum nundinarum frequentia,
& academię celebritate cognitissimum, pergit.
Postremò Castrodunũ uillam fama clarã alluit gur=
gite nauiculifero, ac mox recepto Duro, alias Sturo
amniculo, ad cuius pontem nundinæ totius Britan=
nię celeberrimę, Isidem quindecim passuum milli=
bus, ut sunt aquarum męandri, distantem petit. Per=
cognito iam Grantę fluminis cursu, non erit erudi=
to iniucundum lectori cognoscere etiam, quæ fata
ueteris, & incrementa nouæ Grantę fuerint: utque
academia, quę ibi longè florentissima est, exordiũ
sumpserit. Subseruiam igitur, sed compendio, stu=
diosorum uotis. Granta antiqua quidem illa con=
cussa bellis Saxonicis, & ciuibus uel fugatis, uel in
terfectis indies magis, magisq; ad ruinam inclina=
bat: id quod uel ex decimo septimo cap. libri quarti
historiæ Bedæ apparet, nam desolatam suo fuisse
tempore scribit. Noua autem quę nunc Grantanus
pons dicitur Saxones conditores habuit. At cuius
hoc factũ regis imperio ex historia, quod ego sciã,
nulla liquidò cõstat. Constat autẽ Sigebertum regẽ
orientalium Anglorum, cuius ditionis et tunc Grã

Sturbidge faire.

Sturus fl.

Beda.

Sigebertus.

ta fuit, ac Felicem Burgundionem, episcopum Dunouicanum nouæ urbi fauisse. Consensus etiã scriptorum illis attribuit gloriã gymnasij ibidẽ, auspice Christo, instituti. Nam antea cautum fuerat Gregoriano edicto, ne Angli gymnasia celebrarẽt propter Arrianam, & Pelagianam hęresim, ac quosdam Britannorum errores. Habebant tamen in monasterijs celebrioribus scholas. Theodorus, & Adrianus docebant Durouerni Cantiorum. Maildulphus Bladuni, quod oppidum nunc Maildulphi curia, Angl. Maildulphesbyri, & ibidẽ Aldelmus, uir regij generis, prælegebãt. Bosillus, Ostophorus, ac alij in Sinu phario studiũ bonarũ promouebãt artiũ. Flaccus Albinus, qui & Alcuinus, Isurouici bonas profitebatur literas. Acca idem præstitit Hagustalduni. Beda uerò Girouici, & in Vedræ flu. ostijs, ut alios omittam multos. Beda. 15. cap. 2. libri Angloſaxonicæ historiæ Sigebertum Regem ab eruditione ita collaudat: Sigebert uir per omnia Christianissimus, ac doctissimus, qui, uiuente ad huc fratre, cum exularet in Gallia, fidei sacramentis imbutus est. Idem etiam. 17. cap. tertij libri eiusdem historiæ hæc refert: Mox ea, quæ in Gallijs bene disposita uidit, imitari cupiens, instituit scholam, in qua pueri erudirentur, iuuante episcopo Felice, quem de Cantia acceperat, eisq; pedagogos, ac magistros iuxta morem Cãtuariorum præbente. Ex hoc Bedæ loco colligunt scriptores, Grantanam academiam originem Sigeberti, cuius nos uitam scripsimus, & Felicis pietate sumpsisse. Illud planè constat, Grantaniam uniuersam fuisse ditionis regum orientalium Anglorum. Extat Grantæ Giruiorum in archiuis historiola incerti

Beda.

certi autoria, & fidei longè incertioris. Hinc appa-
ret Gurguntium, neſcio quem, regem Britannorum
dediſſe Cantebro Hiſpano, qui Athenis ſtuduerat,
orientalem Britanniæ partem, eumq; poſteà urbem
ſuper Cante flu. conſtruxiſſe, ac academiam ibidem
inſtituiſſe, quę a Grantano Comite eius filio nomẽ
ſumpſit. Addocet hęc eadẽ Anaximandrũ, & Anax
agorã Græcos, Grantã ueniſſe ſtudiorũ gratia. Cen-
tum ſunt ibi prętereà eiuſdem farinę fabulę. Profe-
ctò nihil legi unquam uanius, ſed neq; ſtultius, aut
ſtupidius. Miſſas ergo facio has antiquitatis deli-
cias. Vt nihil unquam certius de originę Grantanę
ſcholę legerim, quàm quod ex Beda, & alijs de Sige
berto rege colligunt: Ita crediderim ab eius prima
inſtitutione incremẽta cœpiſſe. Quapropter cũ an-
nis ab hinc ſeptem Grantam ſtudiorum meorũ pa-
rentem reuiſiſſem non ingratus alũnus, hoc epigrã-
mate urbem antiquitati, & glorię ſuę reſtitui.

Olim Granta fuit titulis urbs inclyta multis,
Vicino á fluuij nomine nomen habens.
Saxones hanc belli deturbauêre procellis.
Sed noua pro ueteri non procul inde ſita eſt,
Quam Felix monachus Sigberti iuſſa ſecutus
Artibus illuſtrẽ reddidit, atque ſcholis.
Hæc ego perquirens, gentis monumenta Britãnę
Aſſerui in laudem Granta diſerta tuam.

Dani, ut ex Mariano, & Houedeno liquet, ducibus
Gothruno, Oſcẽtino, & Anuẽdio, Grantam, cũ iam
in hybernis ibi fuiſſent, deuaſtabant, anno quarto im
perij Ealfridi regis Viſiſaxonum. Cladem at recu-
perauit illam. Ortũ eſt ciuile bellum, & Henricus
tertius rex Angliæ Anguillariã inſulam obſeſſurus,

quam Henricus Haſtengius unà cum ſuis ui, ut refert Thomas Vicanius, occupauerat. Grantam cum exercitu uenit, ut chronica teſtãtur Barnouellenſia Fit inſultus. Inſulani Henricianos repellunt. Rex ipſe interea muniebat Grantã foſſa, & portis: & muro iam tum, ſi per tempus licuiſſet, cinxiſſet. Gilbertus Claranus, abſente Rege, Londinũ occupat. Tũ, relicta Granta, nouę rex proſpexit calamitati. Inſulani hoc percognito Grantã ueniũt, quam miſerè ſpoliatam incendunt. Quo etiam tempore diplomata antiquiſſima academię conflagrabant. Quin Grãtę gloriam accuratius, in opuſculo, quod de academijs Britannicis ſum propediem æditurus, collaudabo.

Greua, uulgò Greueſende, Latinè Prætorius limes. Greue etenim Saxonicè prætorem ſignificat. Vnde Portegreue, Præfectus portus. Burgegreue prætor, uel præfectus oppidi.

Gulielmus Giffardus epũs Ventæ Simenorum, qui nunc Auonij, palatiũ, ut ego accepi, in ripa Tameſis meridiana condidit, ac Canonicis Marianis uicinis ſuis patronus impendiò bonus fauebat. Hic Thonoduni Murotrigum, alias Taunton, Canonicorum collegium inſtituit. Denique cum inſignis pietatis officium ſocietati, quæ Guauerlegæ coaluerat, præſtitiſſet, obijt, & ibidem ſepultus eſt.

Guineſia, quę multis annis Comitis titulo floruit, prouincię Morinorũ pars nõ minima, Anglũ, ab imperio Eadueardi tertij, Dñm agnouit. Vnde autem nomen traxerit, quãuis certò adfirmare non audeã, adducor tamen cõiectura, uocabulum Guidonis in

ſulam

sulam Latinè sonare. Mœnia urbis ante multos annos diruta, sed castrum in usus bellicos integrũ permansit: cuius & Henricus octauus robur mirificè nuper auxit, & oppidum uallo, fossaq; muniuit.

Gunteri filius, Anglicè Guntersunne, contractè Gunsunne. Iuuenis cum Turcicis piratis pugnauit, & uicit. Aetate maturus cum Gallis naumachia cõflixit, & spolijs potitus, trophæa in nauium coronis uictor posuit.

H.

Henlega, Henelege, alias Henley, oppidum, & forum celebre Isiacorũ. Nomen Latinè uersum, antiquus locus est. Ferunt olim pontem arcuati operis eo fuisse loco, ubi nunc ligneus, cuius fundamenta, decrescẽte fluminis gurgite, in æstate etiamnum uidẽtur. Henlega Molendinarios patronos, et domi nos olim agnouit: deinde & Hungrefordos: nostra autẽ memoria Hastẽgios Comites Venãtodunẽses. Henley

Hullus flu. uulgò Hulle. Aestum Humbri refluentis uiolentia patitur. Ex tribus oritur fontibus, quorum qui maximus non longè à Drifelda, pago sexdecim millibus passuũ à Regioduno distante, ebullit. Est equidẽ parua Drifelda ueteri clara monumẽto Ealfridi literatissimi regis Northabrinorũ egregiè à Beda laudati. Secundus Ostroburnæ oritur. Tertius Emmesuelæ erumpit. Coeunt autẽ tria brachia ad Drifeldã, & uno alueo ferũtur. Tũc Hullus prata Fibrolegæ uicina irrigat. Fibrolegani fluminis cõmoditatem sentiẽtes, olim, facta fossa, partim ad se deduxerunt. Vnde nauiculas Regiodunũ tam ducunt, & reducunt. Hullus à prædicto loco Hullus fl.

festinatione quadam Regiodunum petit, & paulo inferius in Abrinū æstum præceps deuoluitur. Hic ad coronidem aliquid subijciam. Historia Britannica, quæ uulgò circumfertur, Humbri fluminis meminit. Et fama ex historia nata docet nomen flu. inditum à nescio quo Humbro rege, de quo uates quidam hos uersiculos scripsit.

Matth. Westmon. fa. 19.

Dum fugit, obstat ei flumen, submergitur illic,
Deq; suo tribuit nomine nomen aquæ.

Beda etiam, & chorus omnis Saxonicorum scriptorum Humbri nomen familiare habēt. Sed ubi interim oritur Humber? Constat Humbrum eum esse æstum, quò Isurus flu. cuius nomen ex Iside, & Vro coalescit, pleno delabitur alueo: quò etiam Dunus, & Terentus confluunt. Humbri planè fictitium nomen est. Sed nec flumen aliquod in ea regione huiusmodi nominis, ut neq; alibi, quod ego sciam in Britannia. Est tamen in postrema syllaba corrupti nominis, uidelicet ber, quod coniecturā non faciat leuem, Aber Britannicum in Humber degenerasse. Ptolomæus ubi recenset nomina fluuiorum Britanniæ, qui se in mare orientale exonerant, Abi flu. meminit. Crediderim certè Abri, non Abi, in antiquis Ptolomæi exemplaribus scriptum: quanquam facilis ille quidē lapsus homini extero, & Græco peregrinæ linguę prorsus ignaro. Saxones fluminū ostia uulgari hoc uocabulo scilicet Muthe, quod Latinè os significat, denotabāt. Eskemouth. Teignemuth. Derentemuth manifesto sunt exemplo. Britāni etiā ostia fluminum proprio designabāt nomine: in hoc tamen à cōpositione Saxonū lege quadā sua discrepantes

pantes, quòd ostiorum appellationem fluuiorum nominibus præponant. Hoc abundè liquet in Aberdaron, in aber Auon, in aber Tiue, atq; id genus alijs multis. Est autem id propriè Aber Britannis, quod Muthe Saxonibus, quod ostia numero multitudinis Latinis, quod στόμα denique Græcis. Cogor igitur, iudicio quodam, ulnis complecti medijs Aber Britannicũ rectè cognitum, receptumq; alibi, & Humbrũ perpetuò repudiare. Excutiãt rẽ exquisitè eruditi, & tandem dubio procul intellexerint Aber genuinum ostijs fluuiorum nomen, in Humber degenerasse. Hoc idẽ etiam, ut ingenuè id dicam, quod sentio, factum puto in Sabrina flumine, cui credula Cambricorum scriptorum simplicitas ab Habrina puella ibidem demersa nomen indidit, ut ex his liquet uersibus. Vide matthæũ Westm. fa. 20

In fluuium pręcipitatur Abren.
Nomen Abren fluuio de uirgine, nomẽ eidem
Nomine corrupto deinde Sabrina datur.

Ego neminẽ hic cogo ut meę subscribat sententiæ. Hoc interim, uotis multis à cãdidis expetiuerim, ut, repertis frugibus, nõ ãplius glãdiũ amore teneãtur

Hundesdena, uulgò Hunsden, ędes inter Catyeuchlanos, qui nunc Hertofordenses, splendidissimæ. Est autem nomen à lingua deriuatum Saxonica. Hunde, Latinè uenaticus canis. Dene, uallis. Locus erat ditionis, si satis memini, Bohunorũ, & Berneriorum: deinde etiam & Hauuertorum. Turris in ipso ędium aditu sanè spectabilis. Thomas Hauuertus dux Icenorum eius altitudinem suspectam habens, ne ruinam pateretur fastigiorum grauissima pondera

Aber, Ostiũ Britannis.

Sabrinæ fl. Ἐλυμον

Mãtrona fl. indi etiã nomen habet ut ex Am. Marc. liquet.

dera detraxit. Turris uerò humilior facta etiamnũ decus ſuum retinet. Poſtremò Henricus octauus Rex Angl, unicum huius ſęculi in architectura lumen, facta cum Iceno permutatione, ueterẽ ſtructuram expoliuit, & nouam, opus undecunq; conſpicuum, addidit.

Hurſta à ſylua nomen accepit, nec aliunde ſe iactat, quàm à minaci caſtello. Ante autẽ quàm illud caput extuliſſet, impunè ueniebant piratæ in portũ Auonenſem, & ſinus in eo omneis impunè excutiebant. Peruentum eſt paucis hinc annis ab hoſte uel ad ipſa urbis Auonduni, ſi dijs placet, mœnia. Is nauem ex controuerſia onerariam magnam quidem, & precioſis mercibus refertam, abduxit, inuitis ciuibus.

Non tulit hanc labem magni mens Principis alta.
Quin Hurſtam ſtatuit uindicis ipſe loco.

Hic, quoniam in Auonduni mentionẽ incidimus, lubet candidum lectorem erroris admonere, qui frequentiuſculè occurrit in quorundã hiſtorijs, qui res geſtas Britanniæ ſcripſerunt. Confirmant enim, at nimium temerè, portum, qui Auondunũ proſpicit, Hammonis olim uocatum fuiſſe nomine. Tum præterea, ne deſit errori ueri ſpecies aliqua, ducem neſcio quem Hammonem ſomniãt eo loco pugnaſſe, portuiq; appellationem dediſſe. Portum Hammonis hic prorſus repudio, at Auonis facilè admitto: admiſſurus etiam, ut portus Ammonis aptè ſignificet Sabulouicum, uulgò Sandevviche.

Hurſtelega Saxonicè Hurſtelege, uulgò Hurley. Recentiores uertetunt lege, quod locum Latinè ſignificat

significat, in le, & ley. Sonat autem Hurstelege Latinè syluestrem locum. Erat ditionis Visimonasterienſis, unde ueniebant monachi, tanquam ad coloniam, atque hoc quidem factum ab aduentu Nortomannorum. Nam ante Hurstelegæ leue nomen erat.

Hunfridus filius Henrici Quarti, frater Henrici Quinti, patruus Henrici Sexti regum Anglię, Dux Claudiæ, Comes Penbroci, et Cubicularius præterea Angliæ supremus, excoluit tum iuuenis, tum etiã senex uirtutem, ut qui maximè. Hinc clarus domi, militiæq; et bonis omnibus gratissimus. Amauit præter cætera politas literas, quibus etiam impẽdiò inuigilauit. Vidi ego libellum de rebus astronomicis ab eo non infeliciter scriptum. Comparauerat etiam sibi ingentem planè ueterum librorum thesaurum. Mecœnas ille quidem doctorũ omnium, quos illis temporibus, uel Anglia, uel Gallia, uel Italia protulit. Testes sunt libri, quos Ioannes Frumentarius abba Fani Albani, & Capgreuus Augustinianus, ut alios Anglos omittam, ei dedicauerunt. Testes præterea exemplaria antiquissima quidem illa numero. 129, quæ academiæ ad Isidis uadum sitę, inchoata ibidem longè pulcherrimi operis bibliotheca, liberaliter contulit. Id partim præstitit beneficio bibliothecæ Albanæ, partim amicorum opera librorum ad eum ex Gallia, & Italia vsque missitantiũ. De baltheo aureo, gemmis exornato, quod academię dedit, non uacat in præsentia pluribus agere. Fauebat Aretino Italo, idq; impensè, illius cum eloquentiam, tum iudicium acerrimum meritò mag-

Bibliotheca Hunfridi

Baltheus aureus

Aretinus.

ni faciens. Quo nomine per epistolas pollicitus est Aretinus se consecraturum illi libros Ethicorũ Aristotelis philosophorum Principis, quos tum Latinos fecerat: id quod, quãdoquidẽ promiserat, re cãdidè, prẽstitit. Posteà captus spe maioris prædę emittẽdos curauit Pont. Ro. nomine. Petrus Cãdidus, uir nescio eloquẽtia, an eruditione superior, non tulit Claudiano illustri uiro fucum ab Aretino homuncione factum esse. Arrepto igitur calamo Aretinum non solum ingratitudinis, uerum etiam perfidiæ quoque arguit. Et ne Hunfridus de literatis tam benè meritus inglorius esse uideretur, transtulit in Latium Politiæ Platonicæ libros, ac, addita luculenta præfatione, opus undecunque tersum, elegans, splendidum Hunfrido suo dedicauit. Plura de hoc tam claro Duce dicemus libro tertio de uiris illustribus. Hoc enim opus magna diligentia, cura, & labore congessimus, atque adeò iam in tomos quatuor digessimus, ne Britanniæ nostræ, fama tot eruditorum, & elegantium scriptorum deperiret. Quotus enim quisque est hac nostra ætate, uel inter eruditos, qui rectè norit quos literarum flores Britanniæ hortus protulerit. Certè ut ingratitudinis notam multi in hac parte eluant, nunquam profectò desidiæ maculam abstergent. Hunfridus Curiæ Eadmundi in publico cõuentu, 8. anno regni Henrici sexti miserrime interfectus erat eo loco, quo Xenodochium Seruatori sacrum est. Polus Dux Sudo uolcarum, homo inuidiosissimus, atq; idem sordidissimus, carnificis partes agebat. Is autem adhærebat lateri Henrici Sexti regis pij, at non perinde rerum humanarum experientis, & Gallo fauens, à quo forsitan

Tertius Leland. Liber de uiris illustribus.

Polus dux Sudo: uolcarum.

sitan pecunia corruptus erat, ita cum Principe egit, ut impetraret ab eo Andegaulam Gallo restituēdā permutationis nomine, tanquā χρῆσιν ἀντὶ χαλκείου Et quo minus hæc permutatio procederet, solus Hunfridus obstitit, miseratus tum simplicitatem ne potis, tum pub. cōmodum. Sudouolcus hoc uidens fretusq; nobilitate, popularibus suis, & fide seruorum, erat enim in umbilico ditionis suæ, insidijs cruorem innocentis, patriæ hostis, fundendum curauit: Legi aliquando Hunfridum cōficto crimine maiestatis imminutæ apprehensum fuisse à Bellomontano Comite Vicario, ac Equitum Angl. Præfecto, cōiuncto Duce Boccano iniquo facti teste. Hinc fama refert eū mœrore periisse, in Xenodochio Seruatori sacro. Refert hæc eadem: suffocatū fuisse eum ui cuiusdam citram plumeam inuoluentium. Ab eo tempore sensim decreuit Anglorum felicitas. Deus ipse tanti sceleris tandē ultor erat. Pessima interijt pessimus Polus morte, detrūcato in littore Dorensi capite. Poli genus omne concidit. Hūfridi fama, eruditio, fides, gloria etiam florent, perpetuoq; florebunt.

Hydropolis, uulgò Dorcestre, urbs ad Tamam flu. sita. olim quidem Romanis nota, ut liquidò, non modo ex monumentis terra erutis, uerum etiam ex numismatibus, apparet. Hic si quis me roget cur urbi Græcum nomen attribuam, huic ego respōdebo non potuisse nomen aut aptius, aut significantius, facilè inueniri, quod decorū uocabuli ad plenū explicaret. Hydor Græcum bellè exprimit illud contractum Dor Britannicum. Cestre siue Castre à Latina descendit origine. Attamē Saxones nō hoc uocabulū locis tātū castris munitis, uerū etiā et ciuitatibus

Rutilius fa. 83. b. Nō indignemur mortalia corpora sibi, Cernimus exemplis oppida post mori.

Urbium nomina diuersis linguis infra Tre fa. 201.

tibus: quanquam alterum hoc minus proprium attribuebant. Certè, quantum ego ex idiomate Britannorū deprehendo, non habēt uocabulum, quo significanter urbem appellēt, Aliqui dicunt Dinas ciuitatem significare. at rationem nominis nullam reddunt. Alij dicunt Cair urbem esse, cum sit interim et castorum, et locorum omnium saxorum robore circumseptorum communis appellatio, descēdens, ut ego arbitror, ab Hebræo fonte. Alcaire urbs fama apud Egyptios notissima est. Saxones dicunt se habere suum Stede, siue State. At ego hoc nomen locis frequenter non admodum celebribus inditum scio, ut in Polstede. Nevvstede. Hamstede: at ciuitatibus nostris uel rarò, uel nunquam. Πόλιο Gręcum est, idem refert, quod ciuitas. Nihil igitur periculi si Græca Gręcis cohęreant. Certè rectius hoc quàm Latina Græcis miscere, id quod manifestè in Dorcester apparet. Birinus, de quo superius scripsimus, liberalitate Cunegilsi regis Visisaxonum Dorcester tunc opibus, & iustis spatijs ciuitatem florentem in sedem episcopalem accepit.

Birinus supra fa. 113

Longo post tempore, regnante Gulielmo Magno, Remigius episcopus sedem Lindum transtulit, Alexander uerò Lindianus uidens Durocastri desolata esse omnia, collegium Canonicorum Augustinianorum ibi instituit.

I.

Iberi gens fama celeberrima, sic dicti ab Ibero flu. qui apud Cantabros oritur: unde & Iberia, quæ nunc Hispania. Ex Iberis ingens turba commigrauit in insulam quandā occidentis, cui nomen posteà dedit

dedit. Nostra ętas non Iberiam uocat, sed Hiberniam uocabulo aliquanto recentiori. Poëtę mentionẽ faciunt & Iuuernæ, & Iernæ, quæ uerba, ut ego interpretor, Hiberniam, de qua nunc tracto, denotãt. Syluester Giraldus, uir suo sęculo inter literatos nõ parui precij, scripsit topographiam totius Hiberniæ, quam, comes Ioannis, postea regis Angliæ, & uidit, & peragrauit. Ille quidem distinctione operis tertia docet Heberum, nisi corruptè scriptum sit pro Hibero, & Hermionem fratres insulæ imperium inter se diuisisse. Addit prętereà borealem partem cessisse Hebero, australem uerò Hermioni.

Itius portus, alias Iccius, & Icius de quo Cęsar in commentarijs, nunc Calice. De portu ut non dubito, ita facilè non possum adduci ut credã hunc esse locũ, quem Latini autores Gessoriacum appellant. Beatus Rhenanus liquidò probat ex antiquissima charta militari Gessoriacum eam esse urbem, quæ nunc Bononia dicitur. Vnde breuissimus est in Britanniam traiectus: Id quod periti rei nauticę adfirmant. Quanquam nuper accepi à Dori ad portum Icium breuissimum esse transitum, quod tamen nõ temerè adfirmo. Legi aliquando Anglum quẽdam tempore Henrici secundi delatum in Itium portũ locum curiosè collustrasse, recedentemq; dixisse, futurum aliquando, ut illinc flagellum enascereturquod uel perpetuùm Gallos urgeret. Paulus Aemilius unicum eloquentiæ Romanę nostro sęculo decus, cuius floribus, quantum ad res Gallicas pertinet, Polydorus historiam adornauit suã, scribit septimo historię Gallicę libro Philippum Bononię Comitem

mitem Itium muniuisse. Eadueardus à Gulielmo Magno eius appellationis tertius longa obsidione urbem expugnauit, expugnatã auxit, auctam de integro muniuit, & munitum conseruauit. At Henricus Octauus unus instar multorum tantum munitionis, tantum splendidæ structurę, tantum apparatus militaris urbi contulit, ut gloriam Regum omniũ, qui illic dominati sunt, superauerit, & multis quidẽ nominibus.

Calem.

Isca flu. uulgò Eske. Oritur in Scotia, delabiturq; in æstum Soluathianũ, alias Sulvvath. Vadũ, ad quod nuper pugnatũ est inter Anglos & Scottos, Sandisica appellatur. Perpetuò meminerint Scotti sanguinis sui eo loco effusi, & turbę nobiliũ uirorũ captę.

Isis flu. Britannicè Ise. Saxonicè Ouse. Tres sunt in mediterranea Anglię parte huius appellationis celeberrimi flu. quorũ qui primus Isidis uadũ, uulgò Oxforde, sed corruptè pro Ouseforde. Alter uerò Boccinum nobile oppidum, alias Bukkenham, cui nomẽ à damis masculis inditum, alluit. Tertius coniugio Vri nobilis Isurouicũ, quod & Eboracum alluit. Sunt & alij in Britannia fluuioli eiusdem nominis, quos breuitatis studio in pręsentia omitto, cõtentus tantũ prædictorum originẽ cõpendio quodã repetere. Isis fluuiorũ rex oritur in Cotesuoldia spaciosa admodum Claudianę gentis planitiæ plus minus mille passibus ab oppidulo, cui nomen Tetocuria, alias Tetbyri nec longius à Fossana uia, ut inter alios multos testatur Maildunẽsis quidã monachus, qui Eulogiũ historiarũ scripsit. Scio aliter sẽtire, et scribere Polydorũ uirũ multis nominib⁹ clarissimũ,

Boccinũ Bucenham.

Tetocuria

fa. 4

Nam

Nam originẽ flu. attribuit parti limitaneæ, quà Cotesuoldia Vincelocomũ penè attingit. At nihil minus, quàm nominis loci meminit. Noui Pennocum agrum Hailesianæ ditionis, amniculiq; fontem uicinum. Sed ortus Isidis eo planè non est loco. Gaudebant Hailesienses suum agrum nobilem Isidis origine reddere. Ego quidẽ ingentẽ numerũ scriptorũ tractãtiũ res Britãnicas diligenter excussi. Inuentus tandẽ un⁹, aut alter obscurę notę scriptor, qui Polydoro in hac parte subscriberet. Vtinã Polydorus tã oculatus fuisset testis in rebus Britannicis, quam interim est tersus, nitidus, elegans. Næ ille tũ exegisset opus immortalitate planè dignissimũ: modo & eadem opera cognitionem utriusque linguę, uidelicet Britannicæ, & Saxonicę tanquam ad coronidẽ adiecisset. At ille interim laudandus plurimum, qui domi sedens, & numeroso ueterum autorum de rebus in Britannia gestis scribentium pręsidio destitutus, pręstitit in tanta angustia, quanta potuit alius quisquam maxima. Hęc ego de Polydoro modestè satis, ut arbitror, & candidè retuli, quem interim apertè de me mali loqui, et sentire certò scio, id quod susq;, deq; fero. Nec enim quicquam est cur Italum censorem antiquitatis, glorię, maiestatis Britannicę iniquissimum metuam. Dies tandem lumẽ tenebris afferet, & ueritas erecta suo pręnitebit fastigio, etiam si Vrbinas, uel ad rauim usque reclamitet. Sed ad Isidis cursum redeo. Hic flu. paucis à fontibus progressus miliaribus Coui Berchelegani amnem in se recipit. Sic auctus cursum continuat, ac Corinum fluuiolum antiqua fama clarum, à quo Cori-

Cõtra Polydorũ

Couus fl.

Corinus fl.

Crecolada.

Corinium urbs Dobunorum prima, alias Churne ceſter, corruptè Cirenceſter, corruptius Ciceſtre, di cta eſt. Tum pleno petit aluco Crecoladam, non in= ſignem olim, ut uulgus indoctum ſomniat, Græca= nicis ſcholis. Inferius paulò allambit Aquędunum, uulgò Aeiton, caſtellum nobiliſsimi Stipiticij, alias Zouche. Deinde etiam & Lechenladam, ac conti= nuo Ioannitium põtem, locum inter prata humilem, & aquarum copia preſſam interſecat. Hinc Rode= cotanum pontem, auicularum nidum notiſsimum, penetrat, Nouumq; pontem, ac Inſulam, alias Egne ſham, & Einesham, ab Ealmero Coriniorum Princi pe olim illuſtratam. Poſtremò diuortium patitur, ac in cornua diuiſus, hac Botelegam, et Hincheſegã, traiectu celebres, petit: illac Deſlocum, alias Gode= ſtovv, rurſus in brachia fractus, quę paulò inferius, facta inſula, coëunt, ambit, & ſui nominis inſulas, ac urbem literarum cognitione ſuper ethera notam in uiſit. Credas data opera ſic in inſulis luſiſſe Iſidem, ut loci cum amœnitate, tum celebritate urbis cap= tus, curſum, alioqui rapidum, ſpectandi gratia, remo raretur, Confluxus autem brachiorum cernitur loco paluſtri non longè admodum ab Iſidis uado diſsito. Quod reliquum eſt defluxus, Cygnus me tacente Iſiacus quęrentibus, ut eſt totus candidus, ac facilis, abundè ac lucidè oſtendit.

Stonus.

Nunc alterius Iſidis decurſum breui oratione perſtringã. Oritur prope Stenum ubi olim uilla Mu rolegi, deinde Braij, & Sannęi, ac defluit Brachilegã, quondam nobile Auonię mediterraneę oppidum, quod Latinè Filicetum ſonat. Hinc prępete lapſu

Boccinum

Boccinum, uulgò Buckenham, unde & regio uicina Boccinia, peruenit. Nec contentus nomen alicuius fluminis coniugio mutare, Stratofordam Stenicam, Neoportum Paganellicum, ac Budefordam antiquum fama emporium petit, ac omnem citus prouinciã ab eo dictam penetrat, quousque peruentum sit ad Ernulphi curiam, alias Einesbyri, forum non infrequens, quod nunc Fanum Neoti appellatur, situm uerò in ipso limine Venantoduniæ, alias Huntẽdunesshire. Deindè iam profundus, & uagus Gumicastrum antiqua nobile fama, & monumentis insigne Romanorum, Venantodunum etiam, à qua urbe, latè circũiacens regio, nomen accepit, ac Slepam, quæ et Fanum Iuonis Persæ, allãbit: hinc dextrum latus Anguillarianæ insulę, alias Elig, auctus Granta flumine: hinc sinistrum Auona tumidus recepto implicat. Tum uerò in cornua diuiditur Fennicolas perlustrans. Denique cornibus fere omnibus ad unum rursus alueum recurrentibus. Linum celebre emporium mercatorum terra, mariq; aduenientium perpetuo beat officio, ac tandem Oceano se committit.

Boccinũ.

Ernulphi curia.

Gumicastrũ.

Granta fl.

Restat tertij Isidis cursus ab ipsis fontibus ad ostia deducendus. Quare operepręcium erit primum Vri flu. sinuosos męandros describere, ut postea nomine, & alueo iuncti, uterque suis eniteat coloribus. Vrus extima parte Richomontaniæ prouinciolę Brigantum Occidentem uersus oritur. Nomen autem loco, ut quidam prędicant Muscomaria, ut autem alij uolunt Coterinus mons, quorum opinioni ego quoq; accedo. Defluit per ignobileis pontes

Vrus fl.

Bainum, & Aiſcaranum, ac aliquanto inferius Ventolacẽſem pontẽ arcubus inſignem alluit, deuiusq; ſtatim Mediolanum olim caſtellum Radulphi filij Ranulphi relinquens, Vriuallem locum ſui nominis uicinum petit, pontemq; Childegramenſem. Hinc per Maſſamenſem pontem, Tanfeldam olim Marmioniorum caſtellum, & Nortobrigum impetu quodam delabitur, Ripodunum in Schelli ripa ſitum rauco ſalutans murmure. Tum uerò Vicanum pontem paulo inferius ſitum penetrat, ac Iſuriũ, prælato Iſidis nomine, uenit. Ptolemeus ubi de Brigantum urbibus loquitur, inter alias Iſurij meminit. Antoninus etiam Iſuriam Brigantum celebrat in Itinerario ſuo. Cõcidit autẽ eo tempore, quo Danica uis totam ferè Angliam ferro, & flamma deuaſtabat. Nunc ſeges eſt, & uilla ruſtica ubi Iſurium fuit. Rudera murorum, & numiſmata Romanorum hìc frequentiusculè ab aratris eruuntur. Nomen loco nũc Aldeburge, quod uetus oppidum ſignificat. Pons Burgẽſis ad Tudeladum amnem celebris cõflictu, quo, teſte Gulielmo Pachenduno illuſtri ſcriptore, captus eſt Thomas Comes Mediolanenſis, ab Aldeburgo non longè diſtat. In campis huic admodũ uicinis extãt quatuor Pyramides ex ſolido ſaxo, Romanorũ, ut quidam indicant, trophęa. Stant autẽ ad leuam uię Vetelingianæ, ſiue ut alibi lego Eathelingianæ, ut nomen à nobilitate ſumat, uerſus occidentem, quà itur à Burgenſi ponte Luguballiam. Hìc unum eſt, quod me implicat arcto nodo. Nã ſunt ex indigenis qui prorſus adfirment Iſidem, aliquãto inferius Burgenſi ponte, Vrum in ſe recipere, quod mihi

mihi quidem nõ fit uerisimile, cũ antiquitus Isuriũ, ut manifestè ex uocabulo colligere licet, utriusque fluminis nomen præferat. Minora uerò flumina maiorũ nomina subinde cõcipere, nõ, tã in Isuro, quàm in Tamesi liquet. At à defluxu flu. per Burgensem pontem longissimo iam tempore Vri nomen, dum plebs breuitati studet, omninò sublatũ perijt, & Isis prima dictionis compositæ pars integra mansit: ita tamen ut pro Ise, uulgò Ouse appelletur. At si quis penitius excusserit etymon huius nominis Yorevvike, quod contractè Yorke, intelliget quidem illud nomen ab Isurevvik, retẽta prima litera, abiecta uerò secunda, & tertia in o mutata, sumpsisse. Neq; ego tamen interim Eboracum tollo, cuius iam frequens apud ueteres mentio. Suo per me quisque utatur iudicio, ita ut & mihi meum relinquant liberum. Vnum hoc constat Græcos, & Latinos peregrinę linguæ uoces, dum suæ linguæ decoro, & cõpositioni student, prodigiosè corrupisse. Quin nũc quod reliquũ est cursus Isidis expediam. A Burgensi ponte defluit Monachodunũ, ubi in se recipit Nidum flu. Hinc properat Eboracum reginam Britanniæ aquilonaris urbem, ubi oriẽtem uersus Fossam amnem Calaterij nemoris alumnum placido accipit alueo. Tum uerò nauiger, & Guerfa flu. dextrorsum auctus, Cauodam nobile archiepiscooi Eboracensis castellũ alluit. Deniq; Vrosullo, castello nuper Perciorũ tũ elegãtissimo, tum splendidissimo sinistra longiusculè relicto, Doruenta fluuio superbus comite, ad Abrũ, alias Humbrum notũ illi, Duno prætereà, & Terẽto fluminibus celeberrimis hospitiũ petit: unde uia ad Oceanum recta.

Isuriũ fl.

Vrus fl.

Eboracum. sup.ª fa. 55. 114

Nidus fl.

Eboracũ regina urbiũ Britan.

Fossa amnis.

Guerfa fl.

Cauoda castrum

Doruenta fl.

Dunũ Terentũ fl.

Ouseney
Robertus
Oilius.

Isidis insulæ. Anglicè Ouſenege, et Ouſeney. Hi mediamnes loci penè inglorij ante aduentũ Roberti Oilij Nortomani, cuius ditionis tota Isiacorum prouincia, beneficio Gulielmi Magni, fuit. Ille autẽ eò, tanquam in seceſſum amœniſſimum, à caſtello ſuo uicino frequentiuſculè tranſibat. Erat autem Robertо frater Nigellus nomine, de quo fama nõ admodũ multa refert. At eius filius Robertus nepos, & hęres Roberti primi, qui ſine liberis obijt, uir maximi precij erat, cuius uxor Editha Forna fœmina incomparabilis Isidis insulas magni meritò fecit. Contigit aliquando, ut Picarum chorus arborem inſidens Editham in inſulis ſpatiantem conſono quaſi ſtrepitu ſalutaret, quod cum frequenter, & uni illi feciſſet, augurio tacta Radulphum Canonicum Fani Frediſuidæ conſulit. Ille magnum in augurio pondus ineſſe reſpondet, ac heroinam ſolicitè rogat, ut templum ibidem Seruatori conſecraret. Illa hoc idem à marito petit, & impetrat. Hinc fundamenta cœnobij iacta, quod tandem creuit in immenſum. Thomas Vicanius in annalibus ſuis hoc factum adfirmat anno D.ıı29. Sic fama, ſic gloria, ſic honos inſulis partus. Multa debẽt igitur Oilijs inſulæ Iſiacę.

Isiacus poſſeſsiuum ab Iſide aptiſsimè deriuatũ. quo nomine non ineleganter appellabit aliquis ac colam propter Isidis uadum habitantem. Defuit iã longo tempore aptum, elegans, & Latinum genti uocabulum. Fas igitur ſit mihi per cãdorem, & gratiam eruditorum, eam à bonis literis optimè audientem Isiacos, nomine in hac parte nouo, at interim apto, & ſignificanti poſteritati cõmendare.

Isidis

Isidis uadum Saxonicè Ouseforde, & Ousenford, corruptè Oxforde. Hic forsitan obgannient scioli omnis antiquitatis, & politæ literaturæ ignari me corruptorem esse ueteris linguæ Saxonicè, quã illi interim qualis fuerit ignorãt prorsus. Per me uel ad rauim usque oblatrent canum stupidam imitantes rabiem, qui Lunam nitidè elucentem, et nihil tale curantem, assidua insectantur uociferatione. Nõ equidem scribo huiusmodi tenebrionibus, cõtentus interim paucis, at cãdidis, eruditis, denique iudicio ualentibus placuisse. De Isidis uadi origine, multi multa prædicant: inter que, historia circũfertur adfirmans hanc urbem olim ab amœnitate situs Bellositum dictam fuisse. Ioannes Rossus Verouicanus, accola Guidonici cliui hinc edoctus, hoc idem affirmat. Ciues urbem suam quàm illustrissimã reddere cupientes Vortigerium Britannum, conditorem nescio, an instauratorẽ, urbis deprædicãt. At qua id faciant autoritate, luculentam non reddũt rationẽ. Historia rerum memorabilium, quam academia Isiaca religiosè seruat, apertè pronunciat scholas fama antiquitus insigneis à Gręcolada, quæ rectius Crecolada, Lechelada, & Lathelada fuisse Bellositum translatas. At quo tempore, quo autore, qua causa id factum sit, silentium planè ingens. Secutus est & Rossus Verouicanus, uir maioris longè diligentię, quàm iudicij, hanc qualecunque de scholarũ translatione opinionem. Crecoladenses accolæ ripæ Isaicæ conseruant nescio quos uersiculos obscuros in Fano Sampsonis, hanc originem asserenteis, quorũ nisi me fallit memoria, hic primus est.

Postquam Pallas humi furiẽs prostrauit Athenas.
Reliqui uerò exciderunt mihi, sed dispendio penè nullo. Isiacæ academiæ historia prorsus nullã facit de Ealfrido mentionẽ. Sunt tamen alij scriptores, & fidei approbatæ, qui institutionem scholarum Isiacarum manifestè illi asscribant. Videtur hoc etiam Asserius Meneuensis tectè suppresso Isidis uadi nomine, significasse. Sed is nec Græcoladę, nec Lechelada, nec Lathelade uocabulorũ merè Saxonicorũ, ut neque transmigrationis meminit, ne per umbram quidem. Quin ipsa uerba autoris apponam, ubi de educatione filiorum Ealfridi regis Visisaxonũ loquitur: Eatheluеardus omnibus iunior, ludis literarijs diuino consilio, & admirabili Regis prudentia, cum omnibus penè totius regionis nobilibus infantibus, ac etiam multis ignobilibus, sub diligenti magistrorum cura traditus est. In qua schola utriusq; linguę libri Latinæ scilicet, ac Saxonicæ assiduè legebantur. Scriptioni quoq; uacabant, ita ut antequam humanis artibus uires haberẽt, uenatoriæ scilicet, & cæteris artibus, quę nobilibus conueniunt, in liberalibus artibus studiosi, & ingeniosi uiderentur. Et alibi, ubi de diuisione fortunarum Ealfridi agit, hæc scribit: Tertiam partẽ scholę, quam ex multis propriæ suę gentis nobilibus pueris, & ignobilibus studiosissimè congregauerat, dedit. Rossus Verouicanus in libello de Academijs affirmat principiò tantũ fuisse treis scholas in Isidis uado, quarũ prima grãmaticis, secunda philosophis, tertia theologis consecrata est. Haraldus Leuipes Danus Anglię rex infestus tum ciuibus, tum eruditis Isidis uadum

Ealfridus rex Visisaxonũ.

Rossus Verouicanus de Academijs.

Haraldus Leuipes.

dum incolentibus, quòd Danos nobiles fugienteis ad Fani Fredisuidę pyramidē, consilio Eadrici proditoris scelestissimi occidissent, armatū militem eò misit, qui urbem strenuè diriperet, & collegia bonis artibus dedicata confringeret, scholasticis hinc, illinc mœtu fugientibus. Chronica Fani Fredisvvidę referunt Isidis uadū, regnāte Eathelredo, insignem accepisse cladem. Robertus Polenius uir ad bonas literas natus studiorum in Isidis uado resuscitauit, post cladē acceptam, alacritatem, tempore Henrici Belloclerici regis Anglię. Hinc Polenius Romanā urbē petijt, ubi & Cancellarij dignitate functus est. Non possum liquidò pronunciare an Isidis uadum muro fuerit cinctum ante imperiū Gulielmi nothi regis Anglię. Illud constat Robertum Oilium, eius appellationis primum, castrum, quod olim fortissimum fuit, in ripis Isidis uel à fundamentis construxisse, anno à Christo nato 1071. teste Thoma Vicanio sidei optimę scriptore. Nos ista, dum antiquitati studemus, in gratiam Isidis uadi, memorię sacrosanctę consecrauimus. Exhibebimus autē de his fusiora, et lucidiora in libro de origine, & incremēto bonarū in Britānia literarū, & libro de Academijs.

Polenius.

Arcis erectio ad annū Dni. 1071.

L.

Limenus flu. Britannicè Limene. Refert hoc nomē originē Græcā, quod pleno defluens alueo portum efficiat. Est enim portus, littus, sinus maris Gręcis λίμην. Eadbertus rex Cātiorū Limeni meminit in quadā donatione facta. anno D. 741. Chronica Fani Neoti de Limeno sic loquūtur. Limenus fluuius currit de sylua magna, quę uocatur Andredesvvalde

Limenus fl.

Limenus fl. Graius. Huntingdonus. Marianus. Limenus, idem qui Rotherus fl.

vvalde. Habet autem ea in longitudine ab oriente in occidentem miliaria. 120. & eò amplius, in latitudine autem triginta. Graius in opere cui titulus Scalechronicon Andredesuualde meminit, & Sigeberti regis Visisaxonum ab upilione ibidem interfecti. Henricus Venātodunensis quarto libro historiæ de regibus Anglorum hęc refert, ubi de Danis, fretus autoritate Mariani, agit: Posteà redijt in Angliā ille magnus exercitus cum omnibus rebus suis ad portum Limene cum 250. nauibus, qui portus est in orientali parte Cantiæ, iuxtà magnum nemus Andredeslege, quod centum & uiginti miliaria in longitudine, triginta in latitudine continet. Egressi uerò construxerunt castrum apud Apletre. Hactenus Venantodunensis. Saxonibus id Apletre est, quod Latinis malus nota arbor. Et quoniam in mentionē Andredesvvaldę, cuius apud Marianum clara est memoria, incidimus, lubet hîc obiter significare Henricum Venantodunensem Andredescastri urbis, ut ait, olim celeberrimæ, at ab Ealla primo rege Sudosaxonum funditus euersę, nō sine honoris prę fatione magna, primo historię suę libro, meminisse. Nomen Limeni nostris prorsus incognitum temporibus. Constat tamen eum fuisse fluuium, quem hodie Rotherum uocant. Oritur autē in Argasio mōte, non procul ab Aquædunensi saltu, alias Vvaterdon, loco Sudosaxonibus notissimo. Vnde labitur uicinum in campum, cui nomen indit, uidelicet Rotherfelde. Hinc Vicanum, alias Hichingham, petit, ac Robertinū pontē. De hoc uico recentiores quidam scribunt de nomine nil dubitātes. At mea cōiectura

fectura eſt Rotheri pontem in Roberti pontem degeneraſſe. A ponte Rotherino rectà decurrit Bodiamum, olim Dalenrigij, poſteà Leuchenoriorũ caſtellum. Deinde Nouiodunũ pagum, & Oxinegã, ubi traiectus, alluit. Poſtremò Apletream uaſto defertur gurgite, ac mox aperto mari ſe committit.

Limodomus uulgò Limehouſe, cui nomen à re inditum;

Lomithis, id eſt ſinus luteus, ſiue Lamithis, uulgò Lamehithe, notiſsimus Tameſinæ ripæ locus, de quo nihil antiquius legi, quàm quòd Canutus Fortis rex Angliæ hic inter conuiuia, & pocula, ut refert Henricus Venantodunenſis libro ſexto hiſtoriæ ſuæ, diem obiuerit ſupremum. In confeſſo eſt archiepiſcopos à tempore aduentus Nortomannorum in Angliam, hic ſedem habuiſſe. Balduinus, & Hubertus archiepiſcopi nobile fanum Lamithi exrexerunt, decreuerantq; Prębendarios, ut uocant, ibidem ſtatuere. Durouernenſes monachi hoc ægrè ferentes cum Ro. pont. de Fano diruendo egerunt. Poſtremò, monachis uictoribus, ruinam locus paſſus eſt, & quidem magnam. Palatium archiepiſcoporum iam ad ſenium deuergerat. Ecce preſto eſt Ioãnes Moridunus, &, abſterſo ſenio omni, florem, ac iuuentutem, renouato, & aucto operi magnificè reddit. Hic ego iuuenis ſtudio eloquentiæ, et bonarum literarum totus cõflagrans Thomam Houertũ Principis Icenorum filium Latinè loqui induſtria, qua potui maxima, perdocui.

Luguballia. Britannicè Cairluel, corruptè Cairliſle. Hæc urbs ad Vetelingianam uiam ſita eſt, allui

Aquædon fl.
Calodena fl.
Luguballia.
Longh.
Nouantes.

turq; à borea Aquæduno, & à meridie Calodeua flu minibus non ignotæ famę, quorum confluentia spe ctabilis paulo inferius urbe. At unde urbi nomẽ in ditũ à nullo hactenus discere potui. Coniecturam interim meam non grauabor publicam facere. Sus picor fluuium, qui nunc Aquædon, alias Eidon, o lim dictum fuisse Logum, siue Lugum. Ballia à ual le V. litera in B. facile mutata, originem sũpsit. Sunt & qui scribant uallia, nõ ballia: Familiare quidẽ est indigenis Aquilonaribus ualles præposito fluminis nomine appellare, ut Glindale, Vveredale, Tiueda le, Alandale, Rhidale. Sic enim Luguballia Lugi uallis erit. Nisi quis rectius appellationem ortam putet à Lough patrio uocabulo, quod lacum, aut stagnum significat. Abundat enim aquis Lugubal liæ situs. Ptolemæus Luguballiæ corrupto nomine Lucopibiæ meminit, uideturq; eam genti Nouan tum attribuere. Meminit etiam huius urbis Antoni nus in suo Itinerario. Quo tempore Beda floruit in precio hæc urbs quidem fuit: nam et eius mentio nem. 27. cap. libri. 4. historiæ suę facit. In libello quo que, quẽ de Cutheberti uita carmine, et prosa scrip sit, honorificè de Luguballia hęc prędicat: Ecfri dus rex ad Luguballiã ciuitatẽ, quæ à populo An glorũ corruptè Luel uocatur, uenit ut alloqueretur reginam, quę ibidem in monasterio suę sororis euẽ tum belli expectare disposuit. Postera autẽ die de ducentibus eũ ciuibus prodijt, ut uideret mœnia ci uitatis, fontẽq; in ea miro quodã Romanorũ opere extructum. Hęc ille. Concidit autem Luguballia ca lamitate Danici belli, et deserta mœrebat totos du centos

centos, & eo amplius, annos. Aluredus Fibrolegā-
nus historiographus suo sęculo clarus scribit hanc
urbem instauratam fuisse sexto anno imperij Guli-
elmi Rufi regis Anglię. Prędicat hoc idem Houe-
denus. Adijcit Venantodunus, Gulielmum Rufum
regem colonos ab austro huc misisse. Nec desunt
qui scribant Flandros quosdā diluuio suis sedibus
pulsos, ab Anglo, tanquam colonos, huc missos, qui
& posteà, ne quid cum Scottis commune haberent,
Penbrocum translati sunt ut Rossos rebelleis per-
domarent: id quod fecerūt, teste Syluestro Giraldo.

M.

Mauditi castrum, uulgò sancte Mavves. Erat
autem Mauditus ex Hibernia ortus, &, ut ferunt, e-
piscopus. Vixit parcè, ac duriter, sanctitatis nomine
clarus, non longè à Falensi portu, ubi nunc uilla pis-
catoria, & fanum illius nomini consecratum. Incolę
ostentant in cœmeterio fano adiacenti cathedrā ex
solido saxo, qua frequēter sedebat, fōtē q; superstiti
one celebrem. Forma castri in ipsis portus faucibus
pene orbicularis est, & situ subsidet, ut serpentes
ęrei certius irrūpenteis feriant hostes. Trefrius qui
structurę castri præfuit, uir ad bonas artes, & huma-
nitatem natus, tum pręterea amicus, & summus qui
dem meus, à me flagitauit, ut latè quadratis saxis in-
signia Henrici octaui nūquā satis laudati, & Eadue
ardi Principis incōparabilis, ferētibus, paucos opor
tunè uersiculos affigerē, quib⁹ altè insculptis poste
ritas nobile tāti Regis opus meritis extolleret præ-
conijs. Feci quod uoluit. Tali autē amico quicquā
pnegare planè religio fuisset. Accipe cādide lector
inscriptionū notas. Prima sic habet. Henricus oct.

Aluredus Fi-
brolegannus.

Flandri diluuio
pulsi patriā in
Angliā missi.

Giraldus.

Mauditus.

Inscriptiones quaedam Lelandi.

Rex Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ inuictissimus me posuit pręsidium rei publicæ, terrorē hostibus

Secunda inscriptio.

Semper honos Henrice tuus, laudesq; manebunt.

Tertia.

Imperio Henrici naues submittite uela.

Quarta.

Gaudeat Eduardo Duce nunc Cornubia felix.

Quinta.

Exprimat Eduardus fama, factisq; parentem.

Hæc nos in Henrici octaui Regis incomparabilis gloriā æternitati consecrauimus.

Mediamnis, uulgò Medemenham monasteriolum Bernardinorum, quod Isiburnam Bedanfordanam, alias Ouseburne, parentem agnoscebat.

Mons acutus, uulgò Montegu, nomen loci apud Gallos celebris: unde & nobilissima eiusdem appellationis apud Anglos familia originem duxit. Richardus Burdegalensis Rex Angliæ gloriam Montis acuti, alioqui claram, clariorem reddidit, Seueriani Comitis titulo adiecto, anno eius imperij. 21.

Richmont

Mons diues, Gallicè Richemont, urbs famæ cōspicuæ, à qua & regioni, quam possidet nomen. Brigantes olim hîc sedes habuêre, utpote cultores totius Isurię, uulgò Yorkeshir, cuius et hęc pars fuit, ut plurimum montana, at interim quà ualles subsident fœcūda utcūq;, fluuijsq; irrigua, uidelicet Vro, Suala, & Couero. Gulielmus nothus rex Angliæ, dū Eboracum ciuitatem eius imperio non audientem obsidet, Alanum nepotem suum Comitem Britanniæ cōtinentis, Matilde regina exorante, huiusmodi il-

Brigantes

Vrus fl.
Suala fl.
Couerq. fl.

Isuria. Yorkeshire.

di illustrauit donatione: Ego Gulielmus cognomine Bastardus rex Anglię do,& concedo tibi nepoti meo Alano Britanniæ Comiti, & hæredibus tuis in perpetuum omneis uillas,& terras, quæ nuper fuerunt Comitis Eadvvini in Eboraschira, cum feodis militum,& alijs libertatibus,& consuetudinibus,ita liberè,& honorificè, sicut idem Eadvvinus ea tenuit. Data in obsidione corã ciuitate Eboraci. Capta, spoliata,& incensa urbe Brigantum domina,ac gente in potestatẽ Gulielmi redacta,Alanus uir maximi animi studens prouinciã acceptã solidè sibi conseruare,castrum,iuxtà Gillingham uillam suam,fortissimum extruxit,quo se muniret contra impetus nõ modo Anglorum fortunis spoliatorum,uerum etiã insultus Danorum. Operi autem absoluto Richemontis nomen quodam consilio inditum est, uel à loci magnificentia, uel á castro Britanniæ cõtinentis aliquo eiusdem appellationis. Rodolphus Dicetensis in historia sua meminit Richemontis castelli Armoricę regionis. Ego cũ, annis ab hinc aliquot, auidis hoc castrum oculis collustrarem, uideremq; ambitum urbis intra mœnia ipsa exiguum esse,cœpi cogitare urbem sensim creuisse in extima castri area,quod tamen non refero tanquam cognitum. Nunc ut splendor,& gloria Comitum Richomontanorum fusius eniteant, operæprecium duco eorũ ab origine stirpem repetere,& serie quadam ad sæcula recentiora perducere. Eudo Comes Britanniæ cõtinentis Gallofridi filius tres genuit filios Alanũ Rufum,alias Fregaunt, Alanum Nigrum, & Stephanum,qui singulatim,eo mortuo, Britanniæ prę-

Gulielmi noti regis donatio

Eboracũ metro: polis Brigantum

Series Richemontanorum comitum

Eudo
Alanus Rufus. al. Fregaunt.
Alanus niger
Stephanus

fuerunt, & Richomontanię. Vterque Alanus ſine liberis periit. Stephanus uerò filium Alanum nomine genuit. Hîc autem Conanum hæredem reliquit, cui nupſit Margareta Gulielmi Scottorum regis filia, peperitq; ei Conſtantiam, poſteà coniugio Gallofridi filij Henrici ſecundi regis Angl. felicẽ. Genuit Gallofridus Arturium, quem Ioannes rex Angl. eius patruus ob mœtum, ne Angliæ regnum iure ſuo peteret, inſidijs, ut quidam ſcribunt interficiendum curauit. Conſtantia ſecundò nupſit cuidã Rodolpho, à quo adulterij crimine infamis diuortio mulctata eſt. Hinc tertiò nupſit Guidoni Tearcho, & ex eo peperit Adeliciam, quæ Petrum Maloclericum in coniugem accepit, & ei peperit Ioannem. Ioannes filius Ioannis Comes Richomontanię accepit in uxorem Beatricem filiam Henrici tertij regis Anglię, quæ maritum Arturio, Petro, & Ioanne parentem fecit. At Ioannes pater ultimus erat Richomontanię Comes ex ſtirpe Alanica, cuius ſi quem iuuat antiquitatem, quę Eudonis imperio præceſſit cognoſcere, legat Gulielmum Gemeticencem rerum Nortomannicarum illuſtratorem. Recentiores Richomontanię Comites omitto breuitatis ſtudio, hâc lege tamen, ut illos in memoriam redigam in opere quod de nobilitate Britannica, dijs uitam mihi fortunantibus, in Procerum gratiam propediem ſcripturus ſum, & æditurus. Intereà Richomontanię uale dicam.

Gulielmus Gemeticensis

Morini, gens Gallicæ Belgicæ, quorum urbs celeberrima Teruana erat, quam ego potius Treuentam nominarem à Tre, quod oppidum ueteri Gallorum

lorum lingua significat, & guin quod album, illustre, & splendidum sonat. Morinorum meminit Cæsar in commentarijs suis. Meminit eorundem Gratius poëta in libro de uenatione, de quo Ouidius.

Aptaq; uenanti Gratius arma daret.

Mortuus lacus, uulgò Mortelake, uilla lõgo quidem tẽpore archiepiscoporũ Durouernẽsiũ, at nũc Regis, pmutatione fũdi facta, uilla eximiè splẽdida.

N.

Nauticus sinus, Saxonicè Reatherhith, locus olim nautis tantũ hospitium prębens. At nunc, quia urbi uicinus est, cœpit nitidis superbire uillis, & sordes nauticas quasi contemnere. Sunt qui adfirment Henricum eius appellationis quartum Anglorum regẽ hic delituisse, ut medicorũ opera in lepra, qua fœdè aspersus fuerat, curanda uteretur.

Neoportus, siue Nouus portus. Anglicè Nevvporte, statio carinis satis tida, ubi etiã & cõmodus in Vectam insulam aditus. In Neoportu emporium est, & unicum totius Vectæ, quod & eodem censetur nomine. Attamen, ut ego aliquando accepi, Medena oppido antiquum nomen erat.

Nouantes, de quibus Ptolemæus, oram littoris Britãnici occidẽtalẽ accolebãt, ea parte, quà nunc Lugouallia Scottomastix illa floret, & Cãdida casa, quę nunc Fanũ Niniani, Gallouinorum sedes primaria caput attollit. Non possum hic certè satis admirari, quid sibi uoluerit Hector Bœthius Scotticæ scriptor historiæ, cum Gallouiniam sedem Brigantum fuisse contra communem tum Grecorum, tũ Latinorũ omniũ consensũ affirmet. Eiusdẽ farinę et illud Hectoris est, quo loco Dobunos, de quibus Pto-

Ptolemæus mentionem facit, eam fuisse gentem scribit, quam nostra ętas uulgò Darbeshiremenne appellat. Notum est Corinium eam fuisse urbem, quam Saxones Churneceſtre uocabant, & nostra ętas corruptè Cirenceſtre, & Ciceſtre. Sedes etiam Dobunorum primaria ibi olim fuit, ubi nuuc pars Claudianę, ad Coteuoldianum campum, prouincię. Sunt & alię eiusdem notę in Hectore maculę, quas uulgus lectorum tanquam stellulas suscipit.

Nulli secunda, nouũ ab excellentia operis nomen inditum loco uernacula lingua Nonesuche dicto. Hic magnificentissimus Henricus Octauius tam elegantes, tam uenustas, tam denique splendidas erexit ędes, ut quocũque prudens floridę architecturæ ęstimator oculos conuerterit suos, has dixerit inter cęteras quascunque facilè palmam ferre. Quanta illic Romanę antiquitatis ęmulatio? Quantũ speciosę picturę? quantum auri? quantũ denique omnis generis ornamentorum? Diceres cœlum esse stellis interpolatum. Floreat ęternum Princeps, qui nullis parcit impensis, quo minus artificum ingenia, miracula rerum, mentes, atque oculos hominũ sua quadam maiestate rapientia, exhibeant.

P.

Pendinas, id est caput montis, locus adiacens Falensis portus ostijs occidentem uersus, ubi nunc stat castrum in loco ędito, non longè ab ędibus Chelisgreui uiri humanissimi, qui & eiusdẽ Prefectus est. Cuius operis gloria, quanta quanta est, Henrici Octaui Regis propria est.

Petropolis nunc Peterburch, at nomine antiquiori

tiquiori Medeshamstet Saxonicè dicebatur: cuius & loci Beda. 6. cap. 4. libri suę historiæ meminit. Erat autem in primitiua Merciorum ecclesia in honore planè maximo. Operæprecium ergo originem monasterij olim undecunque clarissimi, uel ab ouo repetere. Qua parte non grauabor Hugonem Albū rerum Petroburgi gestarum luculentū planè scriptorem in suscepti operis euocare partē. Fidem ille lectori faciet. Ego uerò quod ille fusè scripsit in cōpendiolū redigam. Auona siue Auena fluuius, qui uulgò Nene pro Auene sublata A. capitali litera, & V. sequenti in N. uersa, Petroburgum alluit, in cuius aluei medio uorago quædam incognitæ profūditatis. Quo etiam & loco fons ebullit, cui nomen Medesvvelle. Cum uerò Saxones in ripa fonti uicina ædes posuissent ueteri nomini nouum uidelicet Hamsted coniunctū est, atque ita coaluit Medesvvelhamstede, quod nomen longo posteà seruauit tempore, detruncata tantum breuitatis studio sesquipedalis vocabuli syllaba media, ita ut pro Medesvvellehamstede pronunciarēt Medeshamstede: Ham uerò domum. Stat, siue stet ciuitatem Latinè significat. Collucet autem in ipsis penè Giruiorum paludibus. Giruiorum meminit Beda. Paludes incolebant. Nomen Giruiorum nostro obscurum sæculo. Dicuntur hac ætatę Fennicolę. Appellationē accepêre Giruij à Gyr Saxonico uocabulo, quod Latinè paludosum, & altè luculētum locum significat. Hactenus de loci nomine. Nunc reliqua strictim dicemus. Penda rex Merciorum, siue Mediterraneorum Anglorum reliquit treis filios Peadam, Vvolpherum

Medeshamstet ecclesia Merciorum Primatiua.

Hugonis Albi historia.

Auona fl. vulgo Nene.

Medesuuelle.

Giruij.

Gyr, Saxonibus paludosum sigt locum.

M.

Pendæ merciorū regis filij tres.

Petroburgi Va-

pherum,& Ethelredũ, quorum ſinguli eo mortuo regno Merciorum præfuerunt, id quod confirmat Gotcelinus Bertinianus in uita Milburgę uirginis. Vvolpherus deteſtatus impietatem, qua non dum Chriſtianus Vvolphadũ,& Rufinũ filios ſuos Chriſto à Ceadda initiatos, conſilio Verbodi è medio ſuſtulit, monaſterij fundamenta ampliſſimi Medeſhãſtedæ iecit, quod Deo Optimo Max.& Petro cõſecrauit, unde Petriburgus nomen loco poſteà indi tum, ac Saxulphum religioſis præſidẽ ibidẽ ſtatuit. At imperfecto obijt opere. Ethelredus eius frater unà cũ ſororibus ſuis Chineburga, et Chineſvvitha incepto operi manum ſupremam addidêre. Longo poſt temporis interuallo Dani gens piratica à boreali littore toto miſerè ſpoliato, in mediterraneas Angliæ partes pergraſſati ſunt, ac inter infinita alia crudelitatis exempla Medeſhamſtatẽſe monaſteriũ totius Britanniæ facilè primum funditus euerterũt. Hæc rerum humanarũ eſt uiciſſitudo. Auſim pronunciare, exceptis tantum Iudæis hominũ omnium ſecibus, nunquam uſpiam terrarum fuiſſe gentem unam, quæ maiorẽ alteri calamitatem intulerit, quã Dani Anglis. Clades illa miſeros flagellabat ſpatio ducentorum,& penè quinquaginta annorum, quam quartam Britanniæ plagam fuiſſe ſcribit Houedenus in libro Annalium, ita ut præceſſerit Romana, Pictica,& Saxonica. Eadgarus tamẽ monarcha Anglorum utcunque immunis erat à Danicis irruptionibus. Quo tempore Ethelvvoldus Philomonachus epiſcopus Ventæ Simenorum cum Principe ſuo ita egit, ut ille miſeratus loci deſolationem, ea

Gotcelinus Bertinianus.

Verbodius.

Dani in Angliã penetrant.

Clades Dani Anglis inferunt grauem.

Clades grauior Britanniæ.

rat enim tum temporis stabulum pecoris, noui mo-
nasterij fundamenta ingentia ibidem poneret. Al-
dulphus etiam Eadgari Archigrammateus luculen
tissima operi dona contulit, ductus iusta pœnitudi-
ne quòd filius, quem unicum habebat, ab eo, & uxo
re somno, et uino grauatis, suffocatus fuisset. Factus
hic posteà Aldulphus primus abba Petroburgen-
sis cœnobij instaurati, & tandem archiepiscopus
Isurouicanus. Deinde Eadgarus ædificato nouo
oppido diploma emporij contulit. Quid multis?
Eò diuitiarum, splendoris, famæ, magnificentiæ,
denique gloriæ accreuit Petropolis, ut Chryso-
polis à multis appellaretur, quod nomen Saxo-
nicè sonat Gildenburch. Vicerat iam Gulielmus
Nortomannus, & imperio Angliæ potitus est. Ecce
Chrysopolis, tot congestis multorum annorum spa
tio opibus, præda fuit Hereuardo Anglo, ac Da-
nis Anguillariam insulam, alias Elig, ui defenden-
tibus, & Gulielmo regi obaudientibus. Iusto mihi
hoc factum uidetur Dei iudicio. Nam monacho-
rum saltem bonorum partes fuerant tantos in elee-
mosynam thesauros à pijs erogatos nõ sordidè sibi
conseruare, uerum larga manu oportunè, & in loco
pauperibus distribuere. Meminerint igitur ecclesi-
astici, uel perpetuò, sordidum hoc exemplo admo-
niti. Turoldus Nortomannus beneficio Guli-
elmi Victoris, cuius & nepos, ut quidam scribit,
erat, abba tũ Petropolitanus facinoris Hereuar-
dini admonitus, Stenoforda urbe relicta, ad suos
armato milite, ut fortem decuit abbatem, cinctus

Aldulphus Ea-
garo à secretis

Petropolis Gi-
denburch appell

Turoldus.

redijt. Tum verò partim dispendio rerum monasterij,& oppidi incensi,partim etiã Anguillarianorũ uicinitate uulneratus, ut piscis ictus, sapuit, ac castello sui nominis Gallicè Monturold dicto,strenuè erecto futuræ prospexit cladi. Hucusque ut plurimum ex historia Hugonis Albi. Henricus Octauus rex potentissimus splẽdorem nouum Petroburgo, iam dignitate episcopi illustrato, contulit.

Petrus Rupinus,Gallicè de la roche dictus. Hic fuit Ventæ urbis Simenorum episcopus tempore Henrici tertij regis Anglię, homo tam inuidiosus, quàm qui unquam maximè fuit. Hic erexit Londini in suburbio, cui Sudouerca nomen, xenodochium. Porrò in Auonia meridiana instituit alterum xenodochium,eo loco,quo stat oppidum in ostijs Portus magni,cuius Ptolemæus meminit. Instituit etiam duo cœnobia,unum Tichefeldæ, alterũ Letelegę, quæ uulgò Neteley.

Placentia, Gallicè pleasaunce. Nomẽ palatio ab Hunfrido duce Claudiano instaurato à loci amœnitate inditum,quod modò perijt, resuscitata ueteris Grenouici memoria. Has ædes Hunfrido mortuo coluit Eadueardus eius appellationis ab imperio Nortomannorum quartus. Cygnus de hac Placentia magnificè personat in mellita sua cantione.

Pontes numero plurali oppidũ,ut ego coniecturam facio quod Saxones Readige, & Reading, sic enim in uetustissimis exemplaribus scriptum inuenio,sua lingua uocabant. Antoninus Pontium meminit. Quanquam miliariorum numerus qui in Itinerario elucet à pontibus Londinum,non conuenit

Readingo

Readingo. At ego experiẽtia didici corruptos iam esse in Antonino numeros, et Alaunodunum uicũ, qui nunc Maidenheued, et Vxinum pontem, ac Colunum Saxonicè Colunbroke corruptè Colebroke, recentioris memoriæ esse, quam ut Pontium referant antiquitatem. Et eo loco tantum nominat urbes, ac celebris notæ oppida: cuiusmodi nisi Radingum recta uia nullũ à Cunetione, alias Marlebyri, Londinum. Reading nomen meo quidem iudicio à copia, & confluxu aquarum apud Saxones cœpit. Et huius nominis pagus est ad Limeni, alias Rotheri fluminis, ripam, qui Cantios à Sudosaxonibus ex parte disterminat. Fluuius uerò Readingũ intersecans Romanis Cunetio, Saxonibus Kesnet dicitur. Oritur autem in Vilugiana prouincia ad radicem tumuli terræ in usus bellicos olim egestæ, cui nomen Selburgus. Hinc profluens, Cunetionem celebre sui nominis oppidum, Hungreforda, Spinas, alias Neocuriam, ac Readingum alluit, ac mox in Tamesim delabitur. Hæc confluentia aliquid facit ad nominis etymon. Idem prẽstat & Cunetio, qui antequam oppidum penetret in cornua propter Beram uillam splendidam se diffindit, ac maiori alueo per pontẽ qui Readingi est ad meridiem defluit: minori uerò quem sacrũ amnem uocant, borealem oppidi partem alluit, ac mox coeuntibus cornibus, fit unus alueus. Huc etiam accedit, quòd & illa duo brachia rursus diuortijs quibusdam, uel in medio ludunt oppido, ac insulas planè amœnas efficiunt. Postremò neque hoc alienum à nominis significatione, Saxones riuum Rhe com-

Corruptissime in Antonino.

Vxinus pons. vxbridge.

Marlebyry.

Cunetio.

Cunetio Reading

Selburgus.

muni appellatione uocant, & subinde scribũt Hrie. Hinc Rhegate id est riui cursus, Ouerrhe ultra riuũ Rheford riui uadum. Rhidune oppidũ prope riuũ, Suderhe ad meridiẽ riui: unde & prouinciæ nomen, quæ australi Tamesis ripæ adiacet. Readingi primus, quod ego sciam, Asserius Meneuensis illustrem in Annalibus suis mẽtionẽ facit, ac sui collaudat Ealfridi regis Visisaxonũ uirtutẽ, qui Danos aperto marte eò in castellum fugauit. Huius castelli nec rudera, nec aliqua certa hodie extãt inditia. At platęę Castellanæ nomen in memoria quo itur uia publica ab hoc oppido ad Spinas occidentẽ uersus. Cõstat ex historia Roberti Beccensis Henricianos pessũdidisse castellũ, quod Stephanus tyrannus Readingi firmauerat. Ealfritha secunda regis Edgari uxor pœnitudine ducta, quòd priuignũ Eadueardũ regem adhuc impuberẽ occidendũ insidijs curauisset, monasteriũ uirginibus sacrũ Readingi instituit, eo, ut fertur, loco, quo nũc Fanũ Marię in precio est. Henricus eius appellationis primus cœnobiũ monachorum ad orientẽ posuit locũ sepulturę suę, cui contulit Virginũ prędia, ac latifundia tum collegij Chausegani, tũ monasterij Leonis.

Pontifices magistratus nomẽ à re sumẽs, uidelicet põtibus uel cõstruẽdis, uel reficiẽdis: cuius generis sunt prefecti duo Lõdinensi ponti, habẽtq; in Sudouercano suburbio domũ ãplissimã, utpote armamẽtariũ rerũ ad tantũ opus pertinẽtiũ. Rodolphus à Diceto in sua refert historia Petrũ de Colechirche sacrificulũ iecisse prima fundamẽta noui põtis. Sed erãt illa leuia. Quare regijs, & ciuicis accreuit postea opibus. Hic cãdidi lectores obstrepit molesta scio-

lotum

lorū turba, cuius & unus obscurior reliquis, homo notioris loquētię, quàm eloquētię, et μεγαφίλαντος, me fœdè in enumeratione arcuū Londinensis pōtis errauisse asserit. Incuriā in qua parte meā cēsor scili cet acutus, idē q; rarus, cōueilit, lācinat, lacerat etiā pro imperio, si dijs placet, suo. Cui ego tantū in prę sentia, alias oportunius eius intolerabilē male iudi= cando arrogantiā pressurus, & cōculcaturus, respō deo: Pluris ualet oculatus testis unus, quàm auriti decē. Ciuis Londinēsis sum, nec me patrię pœnitet meę. Speroq; aliquando futurū, ut nec illā sui qualis cunq; pœniteat alumni. Edico tibi male concilia= te Geta.

Nulli nota magis domus est sua, quàm mihi certè
Omnia Londini sunt monumenta mei.

Fac periculū in eruēda penitiori illa antiquæ urbis nostrę celebritate. Doctior hoc nomine, nisi re disce re suppudeat, forsitan euaseris me autore. Quin pō tis causam perago? Cataractę in ponte Londinensi viginti, quà se ab austro in boreā extendit. At arcus ex solido saxo incuruati tantū nouendecim conspi= ciuntur. Tabulatā illam, & planam pontis figuram ex asseribus cōpactā, & machinis tractilibus, si usus postulet, subleuādā, ne aditus hosti pateat, arcū nec possum, nec uolo, sed neq; per rationē debeo certè appellare. Sperabas, tu quidē magnū de me in hac re triumphum. At ego à te conceptam spem omnē illam his uerbis facilè tibi præripio.

Sis licet Antæus, Polyphemus, maximus Atlas,
Laurigeros noli de me sperare triumphos.

I nunc Geta, & inter compotores tuos uiginti ar= cus Londinensis pontis uictor deprędica.

Polus

Polus, illustris familiæ nomen, cuius ego talem fuisse originem à fide dignissimis didici. Michael Polus humili loco natus mercaturæ operam dedit, Regioduni in ipsis Hulli fluminis ripis siti ubi nobile emporiũ. Nauigauit autem frequenter ad orientales urbes Germanorũ, tantaq; dexteritate, successu, felicitate quoque rationes omneis suas subducebat, ut breui diuitias ingẽteis sibi compararet. Hinc fama inclarescere cœpit, & Richardo secundo Anglorum Regi non modo cognitus, uerum etiam familiaris, & charus, atque adeò à cõsilijs esse. Vffenfordiorũ Sudouolciæ Comitum gloria, deficiente hęrede masculo, inclinationem patiebatur. Richardus studens Polo quàm gratissimus esse, illũ australibus præfecit Volcis, anno regni sui nono, & inter familiarissimos habuit. Polus ubi persenserat se in flagrantissima esse apud Principem gratia, strenuè rem auxit, & indicia nobilitatis non pauca præ se tulit. Inter quę illud uel palmarium obtinuit, quod nullum non lapidem mouerit, ut Regiodunũ suum quàm clarissimum faceret. Constat oppidum illius cum opera, tum impensis auctum insignium numero ędiũ. Nã tempore Eadueardi regis ab aduentu Nortomannorũ in Angliã tertij Regiodunũ oppidum piscatorium erat, solius Hulli prętertabẽtis, ut ego arbitror tunc nomine gaudens. Poli ędes instar palatij adhuc elucent Regioduni, unà cum muris oppidi latericijs, quà Fanum Marię occidentem spectat. Prętereà duas alias conspicui decoris ędes in oppidi umbilico, & tertiam ad Hulli ripam posuit. Nec sic contentus egit cum ciuibus ut oppi

dum

Polorum familia.

dum muro cingerent: id quod factũ est. Locus ubi lateres in muri usus cocti Tegularius adhuc dicitur. Postremò a rege Richardo in ciuium gratiam libertatis diplomata exosculanda impetrauit. Hactenus fortuna propitiam se parentem Polo exhibuit. Iam Richardi imperiũ, & maiestas ciuili turbata seditione sensim decrescere cœpit, unde & Polus nouus homo, idemq; inuidiosus unà etiam decreuit. Princeps uolens nolens coactus est nobilium instigatione publicum totius regni conuentum ad certum diem designare. Hoc consessu Verus Comes Isiacorum, & Polus Sudouolcarũ publico decreto, tanquam corruptores Principis, exulabant. Vterq; Lutetiam Parisiorum petijt. Richardus magno illorum tenebatur desiderio. Polus mutatam sortem ægerrimè ferens, obijt Lutetiæ. Verus opes eò à Polo adductas inuasit: atque hæc Poli finis. Filij eius meliora tempora nacti patris hęreditatem acceperunt: & non longo post tempore hæres ex asse Dueis insignem sibi comparauit titulum. Tandem Eadmundus imminutę maiestatis Hēricianæ reus, se, ac nobilem unà familiam funditus perdidit. Quin & hæc tragædia paulo ante à Lindiorum Comite eius fratre natu maiori bello interfecto, aut Terento submerso, orta est, patre nesciente, & crucem filijs imprecante.

Portunia insula, uulgò Portelãde, sita est ad meridiem littoris Durotrigum non procul à Vagę fluostijs, unde tenui diuiditur æstuariolo. Quà Oceano alluitur in montes consurgit, at meditullio plana est, ferax etiam frugis, graminis, ac pecoris, at arbo-

Portunia Insula.

rum prorſus indiga. Hanc æſtimant circuitu ſeptem milliaria cõficere. At ſi quis lineam per ipſas inſulæ radices, quas mare alluit, circũduceret, decem milliaria computaret. Planities inſulę ut plurimũ ſaxoſa. Littora horrentes rupes oſtentant. Coniunctę tantum uno inſulæ uico ædes, ubi & eccleſia. Reliquæ ſparſę. Olim piſcationi pręter cętera accolæ ſtudebãt, nunc uerò aratro. Fũda, qua ſe incolę exercent, plurimũ ualent, feriuntq; hoſtem fortiter. Henricus Octauus impenſis maximis caſtrũ hîc poſuit monumẽtũ nobile, & iuſtũ inſulę pręſidiũ. Plura de Portunia dicemus in libro de inſulis Britãnię adiacẽtibus.

Profundum uadum, Angl. Depeford, tantũ uilla piſcatorũ paucis ab hinc annis, Henricus Octauus Principum decus omnium Nauale conſeruãdis, & reficiendis nauibus hîc inſtituit, armamentariumq; iuxta poſuit, ac nuper ſplendidas etiam ędes Grenouicanis famulas excelſo erexit faſtigio.

Putenęga, locus nõ alio, quod ego ſciã, nomine memorabilis, quã quòd amœnas ad ripã ędes oſtẽtet.

R.

Regiodunum Tameſinum, ſic dictum, quod ad Tameſini flu. ripam ſitum ſit. Fama prędicat uetus oppidum collocatum fuiſſe paulo inferius eo, quod nunc cernitur, Shenã uerſus loco humili, et excreſcentibus aquis obnoxio, atque hinc adeò aliò tranſlatũ fuiſſe. Ethelſtanus, Eadvvinus, qui & Eadvvius, ac Ethelredus reges hîc imperij ſui corona redimiti ſunt, teſtibus Henrico Venantodunenſi, et Rogero Houedeno. Accepi olim hoc medio factum fuiſſe foro, erecto altè tabulato opere, quo latè à numeroſa plebe uiderentur: quod tamen tanquam re-

Portunia Inſula.

Leland. Cland. lib. de Script. Brit. tamen.

Cambden. fo. 150 Script. fo. 48.

Vin reges hîc coronati fuêre, et corona sua donati: vide Camd. de Caniby fo. 856. in indice eiusdem libri hanc notã citantem. Edwardus primus, Athelstanus, Edmundus, Aldredus, Edwinus, Edgarus, Edelredus, Edwardus, cognomẽto, ferreũ latus.

ctè cognitũ non affirmo.

Regius burgus Saxonicè Cuningburg, corruptè Quinborovv. Castrũ hoc sitũ est in littore, quà Ouinia, alias Shepęga, insula Tamesini, et Vagani flu. ostia aspicit. Instauratorẽ Eadueardũ Vindelesoranũ agnoscit, & Gulielmũ Perottũ Vicanũ posteà Simenorũ episcopũ pręfectũ operis celebrat. Deniq; & Hẽricũ octauũ firmiora iam nactus robora extollit.

Regiodunũ Hullinũ à flu. pręterlabẽte ad differẽtiã alterius sic dictũ. Sęculis ab hinc aliquot elapsis piscatoriũ tãtũ fuit oppidulũ, & appẽdebat parœcię Hasillganę, unde traiect⁹ in Lindiã superiorẽ. Incremẽta urbis paulò ante in uita Poli Sudouolcę ostẽdimus. Tũ prętereà Hulli flu. originẽ, et cursũ depinximus, adeò ut in prędẽtia eadẽ repetere supuacaneũ. Hully A.

Ruber cliuus uulgo Reddecliffe. Gulielmus Guidonis filius huius loci alũnus nouã uiculo addidit lucẽ cõstructis duab⁹ elegãtis notę ędibus. Idẽ schola grãmaticã insigni quadã tũ liberalitate, tũ pietate ac Hospitiũ pauperũ receptaculũ ibidẽ instituit, destinato uel perpetuùm in tam sanctos usus prędio.

Regnorũ meminit Ptolemęus, qui, ut ego coniecturã facio, Tamesini flu. australes ut plurimũ ripas, et iteriora excolebãt. Nũc regioni nomẽ Sudorheia

S.

Sabaudia, ędes magnificę appellationẽ à Petro Sabaudo Leonorę reginę cõiugis Hẽrici tertij auunculo acceperũt. Hẽricus tertius rex hunc Richomõ taniq; titulo insigniuit, et castella nobilium aliquot ei seruanda tradidit, quę, cum aliquandiu seruasset, declinans Anglicæ nobilitatis inuidiam, regi restituit. Ioannes Gandauensis Dux Mediolanensis

longo post tẽpore Sabaudi ędes incoluit, in cuius cõflagrabãt inuidiã orta Cantiorum seditione.

Schelfega, uulgò Chelsey. Nomen autem uillæ inditum à dorso excrescentis arenæ in alueo fluminis. Morus accola illustris uillæ famam auxit. At postquam pertinax esse cœpit, & decretis publicis fidem abrogare, famam uillæ partam labefactauit. Sed posteà noua loco accessit gloria. Henricus Octauus regum splendor unicus, cõspicuas ædes ibidem nuper posuit.

Shenum, uulgò Sheene. Vnde autem nomẽ inditum, si non à splendore, non possum satis cõiectura consequi. Angliæ reges tædio urbis adfecti frequentiusculè huc concessêre tanquam ad secessum longè amœnissimum. Certum est Eadueardum tertium hunc locum coluisse, ibidemq; obijsse. Eundẽ coluit & Richardus secundus eius nepos. Contigit autem anno D. 1397. ut Anna Regina Richardi secũdi uxor longè charissima diem Sheni obiret supremum. Ille uerò tanta perturbatus clade loco temerè mala omnia imprecatus est. Nec sic contentus, uim etiam, si dijs placet, ædibus intulit. Henricus Quintus desolationem loci undecunq; amœni nõ terẽs, splẽdorem illis suum reddidit. Postremò Henricus Septimus Regum omnium sui temporis cum ditissimus, tum prudentissimus bonitate soli, uenustate situs, fluminis commoditate, & uicinitate urbis illectus, tale ibi opus à fundamentis erexit, quale priores non uiderunt: quale etiam & huius sæculi deliciæ in immensum auctæ collaudant. Princeps uerò magnificẽtia operis mirificè delectat? Richemõtis

nos

nomine nouã regiã appellauit, quo dignitatis titulo ante acceptũ regni imperium clarissimus enituit.

Sinnodunum mons editus in ipso uallis limite, cui nomen ab Albo equo, situm est. Distat enim à Caleua plus minus mille, & quingentis passibus, & fossa cingitur profunda. Referunt Atrebates fuisse illic, Britannico imperio florente, castrum ingens, & memorabile totius prouinciæ opus. Cecidisse uerò illud adfirmãt eo tẽpore, quo Danica rabies totã latè prouinciam deuastabat. In præsentia ne leuissima quidem ullius structuræ extant ibi uestigia. Coloni numismata Romanorum aratris hic sæpe eruunt. Manifestum quidem hoc signum loci hominum frequentia olim celebris. Sunt tamen qui putent Danos hic castrametatos fuisse, orbicularique uallo tutelæ causa locum cinxisse.

Sion, à Sione monte speciosissimum cœlum designante appellationem accepit. Locus ille quidẽ ubi nunc Sion famæ tantum plebeiæ erat antequam Henrici Quinti regis inuictissimi liberalitatem sensisset, Brigidianæ uirgines, chorus, ut tunc temporis uidebatur, pius collegium ambiebat. Princeps ratus positurum se opus posteritati spectabile, collegium magnis instituit sumptibus. Iam debellauerat Gallos, & cœnobiola in Anglia non pauca erant, quæ tanquam appendicia, Gallorum cœnobia, unde & deriuata sunt, capita sua agnoscebant. Senserat Princeps in illis fraudẽ, dolumque subesse, maleque de eius sentire contra Gallos triũphis Quare consilio quodam suppressis illis, prædiorum quæ possidebant partẽ Brigidianis, partẽ literatorũ collegijs cõtulit.

Sudouolca Dux australium Volcarũ, nomen ab excellentia sumptum, ut Anglus pro rege Anglorũ. Folke autem Saxonicè id significat, quod uulgus, & plebs promiscua Latinè.

Sunningum imminet Tamesinæ ripæ, dextrorsum paulo inferius Readingo. Fuit olim pontificũ sedes, & cathedra. Nouem hîc numero pontifices fuisse Seuerianæ ecclesiæ historia aperte docet. Eorum primus erat Ethelstanus. Postremus uerò Hermannus. Hîc beneficio Eadueardi regis filij Ethelredi Shireburnẽsem nactus episcopatũ, utrũque coniunxit, ac unicã sedẽ Shireburnæ cõstituit.

T.

Tama fluuius oritur Bulburnæ in radicibus Catyeuchlanicorum mõtium, qui locus aliquot passuũ millibus à Pennolega uilla splendida Rodolphi Veronegi Equitis clarissimi, et amici nostri, dissitus est. Defluit per Trengofordam uillam rusticam, per uallem Eilecurianã, & Crenodunensem pontem uicinum Tamę emporio, cui nomẽ indit. Deinde Vete leganũ pontẽ, & Durocastrum petit, ac mox penetrato ponte Isidem, ulnis complectitur, suumq; nomen superbus prefert. Hinc fluuij coniuncti cursum deducentes uno Tamesis nomine coalescunt.

Templũ, locus militibus Hierosolymitanis olim cõsecratꝰ. Hîc multi nobiles uiri sepulti inter quos nobilissimus fuit ille Gulielmus senior Polemarchus Anglię, & Penbrochiæ Comes, cuius hoc epitaphiũ in Thomę Rodeburni historia etiãnũ extat.

Templarij.

Guilielmus comes Penbrobiæ, polemarchus.

Sum, quem Saturnum sibi sensit Hibernia, Solem Anglia. Mercuriũ Normannia. Gallia Martem.

Thornega

Epitaphium

Thornega, Saxonicè Thornege, & Thorney. Latinè ſpinarum inſula, nunc Veſtminſtre. Locus erat horridus, & incultus. Sunt qui adſcribant templum Thornegę D. Petro poſitum & conſecratum, Mellito Londinenſi epiſcopo, & cuidam ditiſſimo eiuſdem urbis mercatori. Ego hęc aliquando legi Thornegæ in penſili tabula, Sebertum regem orientalium Anglorum filium Sleddę, & Riculæ filiæ Ethelberti Magni conſtruxiſſe monaſteriũ Petri in Thornega anno à Chriſto nato. 604. Cui & ſubſcribit Ealredus abba Rhięuallẽſis in libro, quẽ de uita Eadueardi regis filij Ethelredi infortunati ædidit.

Trenouãtũ Troia noua Gallofrido. Sunt qui oppidum Nouantũ interpretentur. Illud interim ne ad umbram aliquam ueri accedit, quod Polydorus tamen affirmat, ut Trenouantum ſit oppidum Britanniç mediterraneæ, quod uulgus contracto nunc uocabulo Tranton appellat. Conſtat Ptolemæo autore Trenouantes gentẽ fuiſſe maritimã ad oriẽtẽ, ubi nunc Medioſaxones, & Oſtroſaxones. Inter quos fuêre duæ illuſtres tantum urbes, quarũ prima recẽtiori ſęculo, Romanis in Britãnia imperãtibus, Londiniũ à Cornelio Tacito dictũ eſt, ſecũda uerò Camudolanũ, quæ rectius Colunodunum à Coluno flu. poſtea Colunceſter, uulgò, & corruptè Colcheſter. Erit mihi igitur Londinum ueteri appellatione Trenouãtũ, id eſt urbs, uel oppidũ Nouãtũ, donec eruditiſſimi, & in Britãnica antiquitate exercitatiſſimi, maturo iudicio certiora referant. Quod autem Ptolemęꝰ Lõdinũ Cãtij ãnumerat urbibus, aut parũ rectè illud à coſmographis didicit, aut urbs ſcriptorum incuria ſuo luxata loco. Cõſtat enim his, qui uel ſum-

Sic Kemſpley Magdem fa. lib. 5. cap. 11.
vide Polydorũ fa. 91.

Ad annũ 1098. Aula vestmonastr. vetyem exstruxit Gulielmus Rufus. Rastallus affirmat exstructã sub Richardo 2°. Grafton fa. 39. 6.

Anno 1220. Henric. 3. reædificauit templ.

Trenouantum oppidũ significat.

Polydori error notatus.

Trenouantum duæ urbes. Collectio Supra fa. 54.

Colum. A.

ſummis labris leuiter Britanniæ deſcriptionem attigerunt, Tameſim perpetuò Cantios à Nouantibus diſparaſſe. Quid Londino cũ Cãtiorũ urbibus? Vt concedam Londinum ſuum nomen uel à principio retinuiſſe: An non igitur erit Trenouãtum, id eſt oppidum Nouantum gentis antiquiſſimæ inter quos & ſita eſt? Nihil planè obſtat, cum in confeſſo ſit Londinũ inter Nouantes, non Cantios fuiſſe. Cognitum eſt Nouantes, eas incoluiſſe regiones, ubi nunc Medioſaxones, & Oſtroſaxones. De hac diximus aliquanto fuſius in Syllabo dictionum antiquarum, quẽ adiunximus libello de natali Eadueardi Principis. Hîc me nũc etiã iuuat non inuenuſtos uerſus cuiuſdam poetæ, qui epitomen Britãnicę hiſtorię ſcripſit, in medium producere:

Nouantes.

fa. 52.

Londinii.

Aemula Troię
Mœnibus, à Troię nomine nomen habet.
Nomen ei Noua troia datur, poſt & Trinouãtum,
Vtpote corrupto nomine nomen habet.
Hęc eſt illa polis, cui tres tria dona miniſtrant,
Bacchus, Apollo, Ceres, pocula, carmen, ador.
Hęc eſt illa polis, quam Iuno, Minerua, Diana,
Mercibus arce, feris, ditat, adornat, alit.

Tuẽſis ciuitas antiquiſſima rectè Ptolomæo de nomine cognita. Hanc noſtra ętas Bervvike corruptè mea quidem ſententia pro Abervvike uocat, quod uocabulum ſonat oſtia ſinus, uel fluminis. Beda, 12. cap. 1. libr. Angloſaxonicę hiſtorię, ubi de orientali ſinu Iſthmi, qui Scottos ab Anglis diuidit, loquitur, Tuẽdi meminit. Fuit olim Tuẽſis, atque adeò hinc maritima omnis ora ad Perthã ubi nunc

Fanum

Fanum Ioannis urbs celebris, quam & muris cinxit rex Eadueardus Longus Scottomastix ille, in Anglorum ditione usque ad Ecfridi regis Berniciorũ occasum. Scottus posteà Abreuicum inuasit, lõgoq; retinuit tempore. Eadueardus Longus rex Anglię, & Scottorum debellator urbem recuperauit, & Anglis solicitè conseruãdam tradidit.

Ecfridus Berniciorum rex.

V.

Vecta, siue Vectis, Britannicè Gueid, uel Guith, Anglicè Vvighte insula cum Latinis, tum Gręcis scriptoribus cognita. In primis autem Ptolemæo, Plinio, & Antonino. Samuel Beulani discipulus, qui annotationes in Nennij Britanni historiam scripsit, hæc, dum Vectæ interpretationem significanter excutit, refert: Quam Britones insulam Gueid, uel Guith uocabãt, quod nomẽ Latinè diuortiũ dici potest. Forma insulæ ouo simillima. Lõga quidẽ est uiginti passuum millia. Lata uerò decem. Vtrunq; insulæ promõtorium, siue extentio usque adeò isthmi figuram exhibet, ut peninsulã faciat. Cõmodus in Vectam traiectus à Portu magno ad Retham, interuallum septem milliarium est. At ab Hurstano castello, quod ostijs Auonæ fluminis, & æstuario adiacet, ad Sharpenoram, spacium plus minus duorum milliariorum interiacet. Rupes habet littus horrenteis. Terra frugum fertilissima, nec syluæ indiga. Amniculis aliquot cõmodè alluitur. Neoportus, alias Medena unicum insulæ emporium. Villæ prætereà plus minus. 24. in quibus ut plurimũ non uicatim, sed sparsim habitatur. Cairbro nobile olim Rigidiorũ, qui Gallicè Readuers, dicti, castrũ in ipso penè

Samuel Beulani discipulus.

Himingtonus in longitud. 30. in lat. 12 fa. 12

insulæ umbilico situm est. Vespasianus qui posteà imperator Ro. hanc primus insulam Romanis uectigalē fecit. At quid in Vecta egerit penè incertum. Disperijt nobis pars illa historię Cornelij Taciti in qua scripsit de aduentu Vespasiani in Britanniam. Quæ si nunc extaret, Vectæ antiquitas, atque adeò Britannia ipsa longè clarius eluceret. Suetonius Tranquillus in Vespasiano hęc scribit: Insulam Vectem Britanniæ in deditionem redegit. Henricus Huntendunensis secundo suæ historiæ libro docet quo pacto Cerditius primus Visisaxonum rex comitatus Kinricio filio suo bello deuictos Britannos Vecta expulerit: utq́ post quartum uictoriæ annū eandem dono dederit Stufę, et Vvitgaro suis nepotibus. Quo in loco mihi quidem uidetur Asserij autoritatem sequi, qui eadem significanter in Osburgæ reginæ Visisaxonum, et matris Ealfridi regis genealogia exprimit. Seruierat iam diu Idolis Vecta imperio regulorum Saxonici generis audiens, conculcata ui barbarorū Christiana religione, cum Cedualla Britannus Arualdum regulum, filiosq́ eiusdem duos uictor è medio tolleret, & suo insulam adijceret imperio. Hinc Vecta Christianismum recepit, predicante euangelium Hildila, eò ab Vvilfrido episcopo Ceolesegano, quod nomen Latinè uitulorum marinorum insulam sonat misso, unà cum Beorvvino Vvilfridi episcopi nepote. Partem uerò insulæ dedit Princeps Vvilfrido, quem impensè diligebat. Hæc Beda. 15. cap. quarti libri historię Anglosaxonum. De Vecta fusius dicemus in libro de insulis Britanniæ adiacentibus.

Vespasianus

Liber Lelandi de insulis Britan.

Venta

Venta Belgarum. Britānicè, ut nunc loquūtur, Cait Oder nāte badō. Vnde, licet cōiecturā facere nomē urbi recētioribus ſæculis Oderam fuiſſe. Additum uerò eſt nante Badon, perinde ac ſi diceres, in ualle Badunēſi. Nam Balnea urbs celebris memorię hinc diſtant decem millibus paſſuū. Nante proprie ſignificat uallē in qua fluuius labitur. Ego igitur dicerē nante Auon à flumine, potius, quā Badon: id quod lucidius, & ſignificantius eſſet. Odera nomen flu. cuius & appellationis aliquot & hodie in Britānia, ac Germania eſſe dignoſcūtur. At Auonam flu. qui hanc urbē alluit, nomine Oderę aliquādo dictū fuiſſe legi planè nunquā. Eſt coniectura ex uno Antonini loco Auonę etiā nomē urbi inditū fuiſſe. Sed ualeāt coniecturę. Ptolemęum in præſentia ſequar. Ille uerò ſic ſcribit: Dobunis ſubiacent Belgæ, & urbes Iſchalis, Aquæ calidę, Venta. Ex hoc loco utcunq; apparet Ventā eam olim fuiſſe urbē, quā Saxones Brightſtovve poſteà appellabāt. Sonat enim Latinè illuſtrē locū, quę uox nō multū à Vēta abludit. Guinc, ſiue Guēne Britānicè id ſignificat, quod album, quod pulchrum, quod cōſpicuū Latinè. Erāt et aliæ tres pręclariſſimæ ciuitates famę in Britannia hoc cognomento celebres. Quarum una Vēta Sylurum, quæ nunc Cairguēt, ut ex Antonino colligo, erat. Hęc tota concidit. Rudera apparent in Demetia, qua itur à Strigulia alias Chepeſtovv, ad ciuitatem Iſcanę legionis. Et quoniam in Striguliæ mentionem incidi, lubet Nechamij de hac urbe diſtichon non inuenuſtum ex eius de Sapientia diuina libro deſumptum promere.

Odera Al.

Venta Sylurū.

Intrat, & auget aquas Sabrini fluminis Osca
Præceps, testis erit Iulia strata mihi.

Annotauerat hæc quidam in margine codicis: Strata Iulia, cuius pontem construxit Iulius, quod uulgò Strigolium dicitur. Sic ille. Mihi tamen uix placet annotatio. Nõ me fugit Plinii alio Sylures statuisse loco, uidelicet ad Cãterrenũ Scotiç promõtoriũ, unde breuissimus in Hiberniã traiectus. Secũda est Vẽta Simenorum, quæ modo Vvinceſtre, quam & aliqui Bristolliæ urbi ascribunt. Tertia Venta Icenorum nomine gaudebat, quã hodie appellãt Northevvicke, cuius nominis antiquitas etiamnum apparet in flu. urbẽ alluente, quem uulgus Vvennesunne uocat. Venta Belgarum initio urbs ampla non fuit. Aucta est à Saxonibus. Postremò, ponte facto, Ruber cliuus ad sinistram Auonæ ripam urbi additus, & muro septus forti, quo tẽpore Gulielmus Comes Claudianæ præfuit prouinciæ, & maximè Ventæ suæ:

Verolamium, siue Verulamium, Saxonicè Vverlamceſtre, & Vvatelingceſtre, ut scribit Henricus Venantodunensis. 1. historiæ suæ libro ubi de quatuor uijs publicis tractat. Legi aliquando urbem à uicino flu. Verlume nomen primitus accepisse. Ex Verlume fecerunt recẽtiores Vere, decurtata altera uocabuli parte. Et mox Verus flu. sublata E litera, et M. prefixa fit Murus, quę appellatio uel hodie extat, habetq; palatium sui nominis opus planè regiũ Angl. More dictũ. Vilibaldus Anglus qui Bonifacij Angli episcopi Moguntinensis uitã septingẽtis ab hinc, et eò amplius annis, scripsit, Muri flu.

meminit

meminit. Admiror interim quid sibi uelit Gildas Britannus, qui, nisi codex mendosus, pro Muro Tamesim in sua historiola, ubi de Verolamio loquitur, supposuit. Hinc facilè crediderim recentiores imbibisse errorem, qui uel adhuc multos possidet, uidelicet Tamesim olim alluisse Verolamiũ, quod certè absurdius est, quam ut confutatione prorsus ulla sit conuincendum. Constat antiquitus ingentem fuisse lacum propter mœnia Verolamij, qui Offæ regi Merciorum potentissimo uectigal pendebat. Fluuij uerò in illis Catyeuchlanorum finibus celebres nulli præter Verlumũ, alias Murũ, Lugiam, qui Cerui uadũ nobile oppidum, et Durum, à quo Duri uadũ, uulgò Stourford, nominat' uicus nõ icelebris. Cornelius Tacitus hęc de Verulamio libro. 14. historię suę refert: Eadem clades municipio Verulamio fuit. Vnde & Britannicè, teste Nennio in catalogo urbiũ, Cair municip dicta est. Ptolemęus etiã hanc urbem celebrat, attribuitq; Catyeuchlanorum genti. Porrò & Antoninus eandem deprędicat. Alexander Nechamius in libro de sapientia diuina encomiastico carmine Verolamiũ percelebrat. Stetit urbs fama clarissima usque ad Saxonum aduentum, & aliquantò post, ut apparet ex Anonymo, qui facta Albani historię eleganter commendauit. At toties Saxonicis cõcussa bellis tandẽ subito caput demittere cœpit, usq; adeo, ut paulo post spelunca latronum uiam Vetelinganã obsidentiũ esse cœperit: quo tempore Offa Merciorum rex potentia inter Saxones summus Fanum nobile D. Albano in Holmehurste, loco extra muros Verolamij eius

martyrio ſacro, poſuit. Tum urbis & ædificia, & mu
ri minantia ruinam partim ſubuerſa ſunt in uſus no-
ui tẽpli, & cœnobij. Vtque officinæ cœnobij indies
augebantur, ſic decreuit Verolamium. Oppidulum
quoque inceptum ad Fanum Albani multum latiſſi
morum laterum, ex quibus ueteris urbis ędificia to-
ta penè cõſtabant, detraxit. Dehinc et Vvolſinus ſex
tus abba Fani Albani infinitam uim laterum, et ſax
orum eò abduxit, ut nouum oppidum Fani Albani
augeret. Refert Matthęus Pariſius in libro de anti-
quitate Fani Albani quo pacto Ealfricus abba ſepti
mus, et Ealredus eius ſucceſſor, et Eadmęrus nonus
Verolamij ruinas, ad ſe traduxerint in uſus noui tẽ-
pli ibidem ponendi: quod opus à Paulo Cadomenſi
poſteà abſolutum eſt, adiuuãte Lanfranco, ut refert
Eadmerus, Cantiorum archiepiſcopo. Hęc curſim
ex penetralibus antiquitatis depromſimus.

Antigua Winchelsega.

Vinchelſega oppidũ in ipſis oſtijs portus Lime-
ni ſitum, Fuit antiquior ea, quę nunc extat Vvinchel
ſega, loco quidem humili ſita, & uiolentis fluctibus
oceani mirum in modum obnoxia. Hinc factum ut
cum accolę nec ſũptibus ullis, nec ingenio calamita
tem, quę à mari oppido imminebat, repellere cõmo
dè poſſent, cogitarent tandẽ de cõmigratione. Edi-
tus erat locus non longo admodũ interuallo diſtans
ab oppido. Et is cuniculos aluit, domino ſuo Trego
ſio nõ contemnendum fructum referens. In hũc ac-
colę ueteris oppidi omnes, oculos, et mentes conie-
cerunt. Conſilio Eadueardi Lõgi, qui tunc Anglis
imperabat, ſitum futurę urbis dato pretio coëmunt

Edwardus Longus, rex.

quem

quem Chronicon Fani Albani tã belle depinxit, ut prę oculis posuisse uideatur. Fit magnus artificum concursus. Pręficitur operi Ioannes Chirchebius episcopus Anguillarianus Regi à thesauris. Trãsferũt eò ex ueteri oppido quęcũq; usus postularet. Temporis successu, id est annis sex, uel septem excreuit nouum in immensum oppidum. Additi de hinc muri, & portę. Rex ipse inuisit locum, et operã laudat: dumq; altiorem urbis partem foris equo insidens collustraret, caballus crepitaculo uentimolę territus regem concutit. Ille calcaribus usus equum exasperat, unde per crepidinem unà cum equo in uallem cecidit, desperantibus de eius uita famulis. At ille superum gratia incolumis inuẽtus. Hoc ego scriptũ nuper legi in Chronicis incerti autoris, quę à Fano Albani ad Tinnense monasterium delata sunt. Placuit noua urbs suis conditoribus. Vetus oppidum paulò post omninò desolatum, ac relictum ludibrio furentis maris. Ab illo tempore Vinchelsega antequam suę originis uicesimum plenè numeraret annum, duplicẽ passa est calamitatem, semel Frãcorum irruptione, iterumq; Hispanorum à Pharolega inuadentium impetu.

Vindelesora oppidum antiquum, nobile, magnificum, & situ denique tam amœnum, ut cum alio quocunque iure optimo de palma contendat, quam & mihi uel in ipso castri uertice, quo sol splendidius planè nihil aspicit, decẽtissimè gestare uidetur. Vetus illud oppidum, ne quis ignoret, aliquanto remotius stabat à castro, quàm nouum. Sed nec eius

Winchelsega noua

Vinchelsega duplex calamitas.

Windelesora Cambdenus fa. 143. 144. 145.

In manuscriptis codicibus Huntingtoni legi Windlesore.

eius nomen adhuc periit. Illud certè mihi mirum uidetur, quòd, cum non paucis ab hinc seculis tanquã regia Saxonum sedes re ipsa in magno steterit precio, cum aucupij, tum uenationis titulo, tam rara de eo fiat mentio apud ueteres historiæ scriptores. Didici à luculento quodam teste Eadueardum regem Ethelredi infortunati filium Vindelesoranum castrum celebrasse. Ab eo tempore gloria loci perpetuò floruit, Nec quisquam hinc regum fuit cuius nõ arriserit oculis, Longum profectò esset hîc connumerare res ibi gestas. Eadueardus eius nominis ab imperio Nortomannorum in Britannia tertius, quẽ Gulielmus Pachendunus historiographus à loco natali Vindelesoranum appellat, nouo splẽdorẽ oppido addidit, idemq; ita castri gloriam uel ad ipsa maiestatis fastigia extulit, ut omnibus facilè ingenti admirationi esset. Iã uictor iugũ Gallorũ, & Scottorum duris ceruicibus imposuerat, et annus à Christo nato. 1364. defluxit. Ecce Princeps potentissimus, atque idem partis spolijs ditissimus animo ardebat, ut ędito opere aliquo illustri, magno, memorabili denique se, suumq; nomen posteritati uel clarissimum facere. Senserat situm castri Vindelesorani, cuius alumnus erat, tam amœnũ, quàm quod maximè. Sed tempus edax rerum splendorem, iuxta ac robur operis incredibile quantum uitiauerat. Edicto igitur conuocat ingentẽ artificũ numerũ, Turres, ac muros uetustate fatiscenteis dirui iubet, & ampliorib⁹ circinatis spatijs, alta noui operis fundamenta iacitẽda curat, quibus postea fastigia omni maiestatis genere elucentia fuêre superimposita.

Erat

Gulielmus Perottus, Wiethamus · Cambdenus fa. 144·145.

Erat Gulielmus Perottus nobilis Odoualli alumnus à Vicano oppidulo Auonię australis originem ducens, uir rerum experientissimus in flagranti tunc temporis apud Eadueardum gratia, cui cura, et tanti operis moles commissa. Tandem curriculo paucorum annorum castrum regium sumptibus infinitis supremam artificum manum accipit. Erat in castro uetus templum religione sacrum, & Diuæ Marię, ut memini, dedicatum. Hic instituerat Henricus Belloclericus rex Anglię quinq; presbyteros qui rem diuinam curarent. Pietatem boni Principis optimus Princeps laudauit, secumq; cogitare cœpit, quo titulo illustre opus illustrius redderet. Inito maturè consilio statuit noui operis templum sacrum D. Mariæ, et Georgio martyri. Præsidem quoque ibidem, ac duodecim Canonicos ex ea secta, quos præbendarios uocant, instituit: utque collegij sui splẽdor nouo, et nitido dignitatis calculo latius eluceret, nobilissimam conscripsit societatem Equitũ, auream Perisceliden sinistra tibia ferentium, cui hic uersiculus Gallicè in scriptus erat: Honi soit qui mal y pense. Iam agebatur annus imperij Eadueardini 21. cum chorus uiginti et sex Equitum Perisceliden ferentium bonis auibus, et lęto omine designaretur. Rex demissis chlamidibus ex tenui et molli panno colores nunc roseos, nunc uiolaceos, purpureos utrosque pręscripsit. Interior pars chlamidis regię obducta sindonæ alba, sed byssina. Reliqui Equites sacræ uestis interioreis sinus pelliculis niueis, quas uulgò Armineos uocant, bellè exornant. Præsidis chlames numerosa, et collucente periscelide ornatissima

Perottus. vide Cain. fa. 307. in Cantabrig. sch

Henricus Bellclericus.

Origo Garterij ordinis

Equites. 26.

Institutus fuit Ordo Garterius, anno ~~1333~~ 1350. anno 24. regni Eaduerdi 3. Lilius fa. 97.

Vestis Equitum.

tissima principiò extitit. Reliquorum, ut quisq; titulo dignitatis enituit, ita & in talari veste præscriptũ perisscelidum numerum religiosè obseruabat. Cucullus etiam unà cum prominula appendice olim egregio & capitis & colli ornamento cultui Equitum superadditus. Accessit ad splendoris coronidẽ Perisscelis aurea gemmis adamãtinis, ueluti quibusdã stellulis, interpolata, quod & Regiũ fuit. Cæteri autẽ tibiã lęuã aurea tantum perisscelide cingebant. Numerus Perisscelidũ in veste longa nõ comparet: unica nũc insignis est. Color in veste unus Violaceus restat. Huius sodalitij gloria ab eo tempore in immensum usq; adeò excreuit, ut reges, & Cæsares Perisscelidis famã, decusq; ambitiosè expetiuerint. Quę renti mihi sępiusculè de Perisscelidis origine, relata sũt incerta multa, usq; adeò, ut nondũ apud me constituerim quid potissimũ admittã. Longè pręstat silẽtio originẽ rei parũ mihi constantis prętetire, quã incerta pro certis pronũciare. Profectò uerisimile est pręclarũ fuisse aliquod facinus, quod nobilissimæ societati primordia tam augusta pepererit. Sũt qui Perisscelidem interpretẽtur tesserã belli designare. Cinctura species ea est. Cincti milites sua obibãt munia. At quãta interim discinctorũ infamia. Exauctorati illi quidem erant. Sũt rursus qui dicãt Eaduardũ signo Perisscelidis in sortẽ dato hostẽ uicisse. Sũt porrò qui ex Perisscelidis circulo orbem uirtutũ apprimè necessariũ Principibus uiris colligant. Eaduardus Quartus Plantageniста uictor collegium Perisscelidis mirum in modũ fouebat, & prædijs, adaucto ministrorum numero, donabat. Neq; hoc me-

rito

rito finem beneuolētię impoſuit. Ad occidētē tēpli ab Eadueardo tertio cōſtructi nouum & ille erexit priori longè magnificentius: ſed imperfecto opere obiit. Reginaldus Braius Eques magni nominis tecto, & faſtigĳs noui templi, ut ego accepi, manū adhibuit. Quoties autem auidis hoc templū colluſtro oculis, toties mihi uideor abſolutum elegantis ſtructurę opus uidere. Stabat ad huc uetus tēplū ab Eadueardo tertio poſitum: ſed cum Henricus Septimus rex ſui ſæculi Phœnix unicus memoria mortis tactus, locū ſepulturę ſuę aptū quęreret, diruto Eadueardino templo ueteri illo, nouū à fundamentis loco eodē conſtruxit, quod & hodie uacat. Mutauerat enim de ſepulchro ſententiā, ac alterū, miraculū orbis uniuerſi Viſimonaſterĳ inchoauit. Illud nō eſt ſilentio prętereundum, quod idē adiūxerit occidentali parti areæ ſuperioris ubi maximè caſtrum nitet, nouum, et elegans quadratiſsimorū ſaxorū opus. Sed neq; eius filius Henricus Octauus flos regū, quotquot Britānia unquā uidit, minus de Vindeleſora eſt cōmeritus. Primis etenim regni ſui annis portam maximā, qua ingreſſus in primā caſtri areā à fūdamentis quadrato extruxit ſaxo. Sed quo me rapuit oratio? Quam ęgrè diuellor à Vindeleſora aurea quidem illa.

Viridis ſinus. Saxonicè Grenevviche. Erat hic locus antiquitus ſtatione nauium celebris potius, quā ullo illuſtrium æditum titulo. Non nullam ſibi olim peperit famam ex caſtris, quę Dani in ſupercilio uicini montis poſuēre. Huius rei geſtæ clara apud Henricū Venātodunenſē in Suēnone his uerbis mētio eſt: Turchillus uerò ſimiliter iuſſit dari victū, &

censum exercitui, qui erat in Grenewyke. Possem hic multa et ea clarissima in medium de loci celebritate adferre. At in præsentia hæc sufficerint: quãdo quidem Cygnus accuratè alias Regiam, quam sublimem habet, suis coloribus omnibus depinxerit.

Volucrum domus. Saxonicè Fulenham. uulgò Fulham. Asserius Menenensis scribit Danorum turmas hac ripa in hybernis fuisse. Fuit hæc uilla multis ab hinc annis, atque adeò nunc est hospitio Londinensis episcopi notissima.

PERORATIO AD CANdidos lectores.

IAM Prestiti quod sum pollicitus, et commentarij qualescunq; mei in Cygneam cantionem prodeunt, opusculum ex penetralibus recondi tæ, & sacrosanctæ ãtiquitatis religiosè erutum, et diligentia, cura, fide quanta potui planè maxima in lucidum ordinem redactum. Qua parte si quid de meliore nota sedulus exhibui, quod oculos eruditorum splendore aliquo affecerit, et affectos aliquandiu illecebris non magnis quidẽ illis, sed honestis detinuerit, aut si quid mediocris eloquentiæ profluxit, quod purgatas demulserit aures, id quod à me aliquando factũ uix sanè crediderim, denicq; si in toto quicquam opere ostendi quod candido lectori arriserit, id ego omne lubens non ostentationi sed bonis ingenijs, musisq; dedico, et hac me persuasione imbuo, futurũ nunquã ut selectus literatorum chorus expeditam in me alacritatem, aut studiũ honestum erga doctas artes omneis desideret, etiamsi eloquentia, & eximia rerum cognitione interim destituar. Catullus inter felices connumeratus poëtas quo animos iuuenum magna, & ardua tentantiũ excitaret, confirmaretq; sic cecinit.

Rebus & in magnis est uoluisse satis.

Hanc ego uoluntatem non modo amplector, & exosculor, uerum etiam accessione noua, eaq; luculenta exornare studeo, ut qui quam olim dilexerim, nũc

 modis

modis planè omnibus deamem. Quid quòd & uoluntas tam oportuna causam strenuè defendit meam? Censores oblatrant iniquissimi me prouinciam uiribus longè maiorem meis subijsse, Cygneámq; cantionem prædicant sæpe numero à doctissimis cum Latinis, tum Græcis collaudatam, sed à paucis tentatam, idque tenuiter, si quis rei tum magnitudinem, tum gloriam æqua lance expendat. Agnosco quàm angusta sit supellex nostra. Materiam fateor iure quodam suo Vergilianam in carmine non modo gratiam, sed & maiestatem quoque poscere. Nec me sanè latet hoc argumentum et fontes Ouidianos illos ab illimi origine purè defluentes uehementer etiam atq; etiam optare. Ego qui utrunque uiderim & per literas æterna uiuentem fama, et eloquij incredibili suauitate perfusũ, eorũ gloriæ facilè assurrexi, utpote cultor supplex, rectius quam felix imitator. Salutatis de more illis, ad Phaleucum me statim contuli. Præsto quidem erant hinc Catullus, hinc Pontanus clarissima inter sui sæculi poëtas lumina, quibus ego me pro tempore totum solicitè commendaui, ac postremò raptus qua nescio planè cupiditate collaudandi tum fortia Henrici Octaui Regis incomparabilis nunquam emoritura facta, tum uirtutes prænitentes, Cygnum Phaleucinis canentem modulis in medium protuli, & commentarios, ita ut in præfatione sum pollicitus, addidi, hoc consilio ne defraudarem patriam de me tam bene semper merentem, cognitione uera antiquitatis Britannicæ, & gloria suorum maiorum, quorum res gestæ si in satis memores, & elegãtes scriptores feliciter incidissent, nę tum pro iusta claritate uelut hesperi inter minora e-

luxe-

luxissent lumina. Fauete candidi lectores tam lætis, & honestis auspicijs. Sic ego diligentiam uobis integrè promitto meam, & uestram per libros ęditos singularem beneuolentiam, humanitatem, amorem denicp posteritati si non utiliter, certè interim alacriter erectus commendabo. Valete bonarum artium cultores felicissimi.

Errata in Cygnea cantione.

Notulę incisionũ subinde suis locis luxatę, & sublatę, idẽ & factũ in uoculationibus. In A 3 facie. 2. li. 8. lege pluma duxisse. In C. 1. facie. 1. linea. 2. lege quæsis. In. C. 3. fa. 1. li. 2. lege. Nereidũ. In E. 2. facie. 2. linea 16. lege annos. In E. 3. facie. 2. linea. 6. lege uos.

Errata in commentarijs.

In A. 2. fa. 1. li. 21. cõsilio quodã licẽtia mixto mutatissimas dixi. participio in nominis formam cõuerso In A. 3. fa 1. lege Osbernus In B. 3. fa. 2. li. 19. lege prędiolũ. Ibidẽ lege preciũ. In C. 2. fa. 1. li. 27. lege Antęũ Ibidẽ fa. 2. li. 28. lege Britanniã. In C. 4. fa. 1. li. ultima le. Scæua. In D. 1. fa. 1. li. 30. le. minus. In D. 3. fa. 1. li. 17 lege in ipsa eadẽ. Ibidem li. 27. lege Maximũ. In D. 4 fa. 2. li. 15. lege censetur. In E. 1. facie. 2. linea 19. lege Erchenualdi. In F. 1. facie. 2. linea. 24. lege transferẽs ã. In G. 2. facie. 2. linea. 22. lege Augustini. In H. 3. fa. 1 linea. 10. lege Henley. In I. 1. facie. 2. linea. 30. lege partes. In I. 4. facie. 1. linea. 22. lege male. In K. 1. facie. 1. linea. 24. lege operæ preciũ. In M. 1. facie. 1. linea. 28. lege lutulẽtum: et fa. 2. li. 21. lege fęces. In N. 1. fac. 1. linea. 23. lege tragœdia. In N. 4. facie. 2. li. 7. lege sitũ. In P. 3. fac. 1. li 21. le. Propertius. Ibidem li. 25. lege, in magnis & uoluisse sat est.